

PALAESTRA

LATINA



ANN. XLI (FASC. IV). — N. 216
M. DECEMBRI — A. MCMLXXI

P A L A E S T R A L A T I N A

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Premium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^o Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XLI (FASC. IV). — N. 216
M. DECEMBRI — A. MCMLXXI

M. MOLINA, <i>IV Conventus Nationalis Studiis Classicis Pro-vehendis</i>	145
J. MARINELLA, <i>Laudativi Elegi</i>	157
J. M. MIR, <i>Ciceronis specimina - De senectute II</i>	165
N. MANGEOT, <i>Aureae sub O. Augusto litterae latinae</i>	177
J. ASPA, J. JIMÉNEZ DELGADO, M. MOLINA, <i>Bibliographia</i>	183

P A L A E S T R A L ' A T I N A

L I T T E R A R U M L A T I N A R U M C O M M E N T A R I I

A S O C I I S C L A R E T I A N I S E D I T I

ANN. XLI (FASC. IV). — N. 216

M. DECEMBRI

A. MCMLXXI

IV CONVENTUS NATIONALIS STUDIIS CLASSICIS PROVEHENDIS

Etsi paulo serius quam oporteret ex quo hic IV Conventus Hispanicus Studiorum Classicorum superiore vere habitus est, tamen per opportunum existimavimus lectores nostros cum hispanos tum exteriores, quibus neque Barcinonem neque Matritum convenire licuerat, de eodem Congressu certiores facere, praesertim vero cum ex actis diurnis et ephemeridibus per paucae exiguaeque notitiae eis pervenissent.

Qui fortunate Conventui celebrando adsuimus, non perspicere facile non potuimus quod propositum consiliumque iniissent moderatores: explorare scilicet atque patefacere, quoad fieri posset, quantum scriptores classici atque classica antiquitas in recenti nostro humano cultu hucusque vigeant. Quod ut investigarent tractarentque, peritissimi viri in re latina et hellenica atque archaeologi Barcinonem Matritumque convenerunt. Scriptores enim classici totum imbuunt cultum hominum occidentalium, tum ad hispanicas tum ad reliquas Europae litteras recentiores quod spectat, adeo ut hoc mirum nobis minime videatur quod in nationibus Europae septentrionalibus studia classica nostra aetate renascantur. En exemplum habemus Universitatis Pragensis, ubi abhinc tres fere annos, cum acroases quae-dam hoc indice «Antiquitas graeco-romana at tempora nostra» instructae habitae essent, magnum in primis apud juventutem litterarum classicarum excolendi exortum est studium; huc accedat oportet quod et in omnibus populis quos vulgo «satellites» appellare

solemus et in ipsa Russia studia hujus modi classica magnopere provehuntur et ad novam humanismi quasi rationem speciemque studiose procurritur. Hispaniam igitur ejusque antiquitatis classicae cultores abesse non decebat a summo eo negotio vindicandi graecitatem latinitatemque nunc temporis litteras recentissimas universi cultus occidentalis florentesque permeare.

Conventus IV Nationalis a Societate Hispanica Studiorum Classicorum (CEEC) Praeside Dto. Francisco Rodríguez Adrados instrutus eo erat consilio ut in duabus praecipuis Hispaniae urbibus, Barcinone scilicet Matritique diebus 15-19 mensis aprilis hujus percurrentis anni 1971 celebraretur. Conventus Praeses in urbe Barcinone fuit Prof. Josephus Alsina Clota et in urbe Matrito Prof. Antonius Ruiz de Elvira, non nullis quoque Prof. Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum in Congressu moderando adjuvantibus.

Etsi Conventus ex se nationalis indictus erat, quamplurimi adstantes e dissitis variisque Europae et Americae gentibus convernunt, adeo ut quadringenti circiter viri ac mulieres litterarum classicarum studiosi nomen ei dederint, praeter legationes societatum et universitatum cum hispanicarum tum exterarum. Qui omnes summum praebuerunt argumentum cultum classicum classicasque litteras non emortuas sed vigentissimas esse apud multos homines hodiernos.

Qua prolusione praemissa res praecipuas Conventus describendas aggrediamur simplicem ordinem chronologicum insequendo.

DIE 15 M. APRILIS

Hora decima ante meridiem in Aula Magna Universitatis Barcinonensis Prof. Rodríguez Adrados, Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum Praeses, qui Conventui aderant eos est breviter allocutus comiter congratulans quod hujus Congressus sedes urbs Barcino esset, ubi studia classica jam diu summo ardore studioque excolerentur.

Continuo Prof. Alsina Clota aditiale habuit orationem eamque luculentissimam quae «LA RUTA HACIA LOS CLASICOS» («ITER AD SCRIPTORES CLASSICOS») inscripta erat. Praeter adstantium exterorum salutationem castigato ciceronianoque sermone latino prolatam, non nulla eaque maximi momenti notanda significamus: sibi consilium proposuisse aliquantulum considerare quid philologi munus officiumque esset, cum philologus non quaerere a se non posset de virtute ac momento illorum scriptorum quibus interpretandis ipse

vitam devoveret; sibi philologiae esse copiam quandam eruditionis et methodologiae investiganti suppeditare, qua ad scriptorum classicorum iter tutum aperiatur. Deinde Prof. Alsina Clota de legendis classicis egit, discriminans quam diverso modo textus classicos adeat ardens fervidusque adulescens ac juvenis et homo maturitate quandam atque aetate provectus, qui distinguere critice jam valet ea quae ad se et ea quae ad alios pertinent. Disputandas postea sibi proposuit difficultates quae ex adjunctis temporum et locorum ad recte interpretandos classicos oriuntur; eos quoque qui scriptores classicos deformant vel mythis prosequuntur, acriter insimulavit et ad attente atque objective legendos scriptores classicos omnes praesertim juvenes adhortatus est.

Hora meridiana in «Aula Centum Virorum («Salón de Ciento») vulgo dicta decuriones civitatis barcinonensis eos qui Conventui adherant humaniter exceperunt «vinoque hispanico» ut dicimus honestaverunt.

Eodem die post prandium Dctor. Sebastianus Mariner, in Universitate Centrali Professor, primam acroasim seu orationem habuit hoc indice: «VITALIDAD DE LAS ESTRUCTURAS LINGÜISTICAS LATINAS EN LAS HISPANICAS ACTUALES» («UT LINGUISTICAE SERMONIS LATINI EXSTRUCTURAЕ IN HISPANICIS NUNC ADHUC VIGEANT») inscriptam, qua, cum hispanicas linguas: vasconicam, gallaicam ac lusitanam, castellanam, catalaunicam examini subiciendas induxisset, sua summi magistri eruditione ostendit lingüisticas exstructuras latinas in hispanicis funditus perseverare rem subtiliter explicando quod ad morphologiam, syntaxim, lexicon linguae castellanae et catalaunicae spectat.

Ad hanc praecipuam diei orationem aliae oratiunculae a peritis viris sunt propositae quarum indicem tantum brevitatis causa significemus oportet: J. HIGUERAS, *Estructuras lingüísticas latino-hispánicas en dos privilegios reales de Fernando III*; V. FERRIS, *Els participis absoluts en la prosa valenciana del s. XV*; S. VILLIMER, *Estudio lingüístico de un documento latino de compra-venta de tierras de Igualada, otorgado en Méjico en el s. XVI*; J. M.^a MIR, c. M. F., *Aplicación al latín de los estudios de estilística publicados en español*; L. RUBIO, *Estructura sintáctica del estilo indirecto latino y castellano: problemas de traducción*; J. SANZ, *El hipérbaton tipo «del monte en la ladera» en Bécquer*; V. CONEJERO, *Supervivencia de estructuras griegas en el español*; E. SÁNCHEZ, *Terminología griega y latina en el ámbito social y comercial de Barcelona y su zona de influencia*; A. MOÑINO, *Qué debe nuestra sintaxis al latín y al griego*.

Ad linguisticam quod attinet hae disputationes sunt allatae: J. ERNST, *Observations et suggestions en matière de bibliographie classique*; J. J. MORALEJO, *Revisión de los estudios sobre el dialecto délfico y su desplazamiento por la koiné*; A. LÓPEZ EIRE, *en torno a la pérdida de —* s— en griego*; J. CALONGE, *El acento circunflejo en la penúltima sílaba*.

Ad historiam litterasque spectantes haec argumenta sunt tractata: J. LENS, *Acerca de Cleómenes*; G. FORNI, *Considerazioni in tema di elezioni romane di magistrati*; O. GARCÍA DE LA FUENTE, *La observación de las aves en Roma y en otros países del antiguo Oriente*; P. PIERNAVIEJA, *Reminiscencia ovidiana en una inscripción métrica de Cádiz*; C. CASTILLO, *La composición del «conflictus veris et hie-mis» atribuido a Alcuino*; F. ARGUDO, *La comunicación de masas en Roma*.

DIE 16 MENSIS APRILIS

«EL MUNDO CLASICO EN PICASSO» («MUNDUS CLASSICUS APUD PICASSO») fuit index acroasis matutinae Prof. Josephi M. Blázquez; qui cum absens Graeciam peragraret, orationem Prof. V. Bejarano legit commentariisque exornavit. Jucundissimum nobis apparavit spectaculum diascopicum, ubi ope machinae imaginibus luce projiciendis picturae delineationesque picassianae ad omnium adstantium per horam delectationem apparuerunt mundi classici in primis mythologici argumenta revocando. Ibi et Panum syringa instructum, Panum iterum cum Nymphis, tres Gratias, Centauros, Satyros, Minotaurum, Faenum, Europam raptam, Venerem cum Cupidine, Ulixem cum Sirenibus, Sabinas quoque raptas, capita viorum barbatorum effigies hellenisticas imitantia, mirumque praesertim Metamorphosum ovidianarum mundum jucunde perspeximus, quem pictor hispanus Malaca oriundus, superiorum pictorum vestigia premens, proprii tamen ingenii luce propriaeque indolis visione omnino nova reproducit atque interpretatur, adeo ut Picasso recentissimam quandam mythologiam effingat, qua et curas et studia hominum nostrae aetatis vividis imaginibus suis depictis exprimat atque repraesentet.

Hac acroasi peracta, quae omnium sibi laudes plaususque emeruit, non nullae de re disputationes ab auctoribus sunt habitae: P. DE PAOL, *El tema de Aquiles en el mosaico del Bajo Imperio en Hispania*; M.^a D. GALLARDO, *La Mitología en el Museo del Prado*. Aliae quoque de re linguistica allatae sunt lucubrationes: A. DÍAZ

TEJERA, *El comportamiento del campo mostrativo ante las diversas funciones del lenguaje*; A. RODRÍGUEZ CARRASCO, *Hacia un entendimiento nuevo y radicalmente diverso del Latín y del Griego como signo lingüístico: el signo como proyección (φύσει) y no como expresión (θέσει)*; M. DEL REY, *Cuestiones en torno al léxico de Andócides*; J. L. CALVO, TEΛΕΤΗ. *Estudio en torno al vocabulario de las fiestas en Grecia*; C. ROURA, *Partes y órganos del cuerpo humano de Homero en la lengua científica de Hipócrates*.

Quae disputationes dum legebantur, simul in alia Universitatis aula memoria Prof. Eduardi Valenti Fiol, clarissimi litterarum classicarum in Catalaunia cultoris, qui vita nuper defunctus erat, revocata est his orationibus eximio professori dicatis et hoc indice «EL MUNDO CLASICO Y LA CULTURA CATALANA MODERNA» («MUNDUS CLASSICUS ET CULTUS CATALAUNICUS RECENS») propositis: C. MIRALLES, *Los clásicos en la cultura catalana de principios de siglo*; J. VERGÉS, *En torno a la génesis y desarrollo de la «Fundació Bernat Metge»*; M. BASSOLS, *Un intento de biblioteca de clásicos griegos y latinos* («Bibliotheca Hispanica Alma Mater»); M. C. FERNÁNDEZ LLORENS, *Paralelismo entre Plotino y E. d'Ors*; R. SALVAT, *Sobre la Antígona de Espriu*.

Postmeridiano tempore Dctor. Xaverius de Hoz, in Universitate Salmanticensi Professor, tertiam habuit acroasim praecipuam hoc indice: «TRAGEDIA GRIEGA Y NOVELA CONTEMPORANEA: DOS ESTRUCTURAS NARRATIVAS» («TRAGOEDIA GRAECA ET FABULARIS HISTORIA RECENS: Duae exstructurae ad genus narrandi pertinentes») inscriptam, ubi fabularem historiam seu fabulam romanensem («novela») exposuit tanquam genus litterarum ab antiqua arte rhetorica minime dependens sed cum tragedia graeca magnopere implicatam, cum praecipuum utrius generis litterarii unum idemque videatur elementum, id est, fictio seu fabulatio. Differentias deinde Prof. Xaverius de Hoz ostendit inter fabulam romanensem et tragediam graecam earumque convenientias; utraque enim et personas continet et exstructuram argumenti seu rerum factorumque dispositionem. Quod eruditè perfecit exempli causa Agamemnonem Aeschyli percurrente cum crebris ad literas graecas et recentiores cum hispanicas tum exteris excursibus.

Hora exacta aliquae disputationes cum acroasi Prof. X. de Hoz convenientes ab auctoribus coram lectae sunt, quarum index: M. DOLÇ, *Correspondencias homéricas en el «Ulysses» de Joyce*; C. GARCÍA GUAL, *Paroxismos de la novela griega*; M. RABANAL, *El mito helénico en la novela «Un hombre que se parecía a Orestes», de A. Cunqueiro*; V. BEJARANO, *Un tema clásico en la poesía de Ga-*

briel y Galán; E. HERNÁNDEZ VISTA, Virgilio y Miguel Hernández; E. PIÑERO, El mito clásico en la obra de León Felipe; B. ROY, Las tres categorías estéticas de la cultura clásica —integridad o perfección, armonía o proporción y claridad— en Antonio Machado.

Deinde hae disputationes ad litteras cultumque classicum spectantes habitae sunt: J. O'CALLAGHAN, *Carta griega del siglo I p. C.* (*PPalau Rib. inv. 66*); S. BARTINA, *Colubraria y sus problemas*; C. GALAVOTTI, *Un esempio di critica testuale*; J. GARCÍA LÓPEZ, *Homero, los Presocráticos y la alegoría de la nave*; A. RUIZ DE ELVIRA, *Prometeo, Pandora y los orígenes del hombre*; J. GARCÍA LÓPEZ, *La autenticidad del Fr. 56A de Arquíloco*; C. GARCÍA GUAL, *La fábula y la lucha de clases en la época arcaica*; M. BALASCH, *La concepción del hombre en Baquílides*.

Ad rem linguisticae quod spectat hoc quoque allatum est: C. CODONER, *Los demostrativos en latín*; GERHARD BENDZ, *Zum Gebrauch von Wortpaaren im Lateinischen*; P. RODRÍGUEZ, *La terminología médica en la obra de Séneca*; C. GRANADOS, *El estilo indirecto libre en Salustio*; C. GRANADOS, *Aplicación del ordenador electrónico a un Index Verborum de Macrobio*; A. LÓPEZ CABALLERO, *Algunas cuestiones de Semiólogía y Lingüística en San Agustín*; M. MARTÍNEZ PASTOR, *La terminología de la luz en las traducciones origenianas de Rufino de Aquilea*.

Consilium Conventus moderandi omne tulit punctum cum in scaenam promere constituisse Menandri comoediam quae DYSCOLUS inscribitur; quod spectaculum in honorem Congressui adsistentium hora XXII et dimidia in theatro barcinonensi cui est index «POLIORAMA» paratum est; ibi opus menandrianum aptissime a C. Miralles in hispanicam linguam conversum suaviter adstantes celebrarunt jucundissimam peragentes vigiliam cum Menandri facetiis salibusque. Ante actionem scaenicam Prof. M. F. Galiano scitis verbis introductionem seu prooemium fecit ad commodiorem scriptoris comici comoediaeque cognitionem, quo Discholum melius comprehendenter audientes. Plausus coronaee captarunt actores scaenici E. Arredondo, J. Pera et S. Torrents, spectaculum S. Schaaff moderante; M. Suñol in scaena monuit histriones, quorum vestes personasque tragicas J. Palá accuratissime paraverat.

DIE 17 MENSIS APRILIS

Ad tertiam orationem, quam antea memoravimus Prof. Xaverii de Hoz de tragoedia greca et fabula romanensi, aliae disputationes

auctori bus legenda e primis diei horis adjunctae sunt, quarum index: M. FERNÁNDEZ GALIANO, *La pequeña Antígona de Friedrich Dürrenmatt*; M.^a A. OZAETA, *La culpa en el acontecer humano. Dos enfoques: Eurípides e Ibsen*; A. VIVES COLL, *El helenismo de Albert Camus*; A. DÍAZ TEJERA, *La dimensión de lo trágico en K. Jaspers*; E. GANGUTIA, *La literatura griega y los comienzos de la literatura medieval española*.

Aliae lucubrationes sub indice «MUNDO CLASICO Y PENSAMIENTO ACTUAL» («QUOD COGITANDI GENUS HABEANT ET CLASSICI ET HOMINES HODIERNI») sunt collectae quas memoramus oportet: K. von FRITZ, *The position of Classical Studies in our times*; J. VIVES SOLÉ, *El mundo clásico y las corrientes sociológicas actuales*; H. G. GADAMER, *Die aktuelle Bedeutung der griechischen Philosophie*; I. MUÑOZ VALLE, *El racionalismo griego*; F. DE URMENETA, *Vitalidad de las estructuras silogísticas en el mundo clásico*; M. AGUD, *La Mitología greco-romana en la religiosidad actual. Religión y Poder*; M. MAYER, *Estructuralismo y mundo clásico: la obra de Dumézil*.

En tandem ultimae quae ad litteras cultumque classicorum spectantes disputationes sunt propositae: J. M. LUCAS, *Estructura teatral: el agón en la obra de Sófocles*; F. RODRÍGUEZ ADRADOS, *Tradición o innovación en la composición de Edipo Rey*; A. MOÑINO, *Presencia actual de Eurípides*; A. MARTÍNEZ DÍEZ, *Las «fábulas» de Higino y las tragedias de Eurípides*; M. ROVIRA, *Proyección del ciclo de los Argonautas*; J. CASTELLANOS, *La democracia de Isócrates*; M. SICHERL, *El Paraclausithyron en Teócrito*; J. SARIOL, *Clemente de Alejandría, teólogo liberal*.

Hora duodecima ante meridiem clarissimus architectus atque orator, Dctor. Ferdinandus Chueca Goitia, ultimam Conventus acroasim habuit, quae omnibus adstantibus fuit in deliciis hoc indice: «LA VIGENCIA DEL LENGUAJE CLASICO EN LA ARQUITECTURA» («UTRUM CLASSICUM DICENDI GENUS IN ARCHITECTURA VIGEAT NECNE»). Orator ostendere nisus est scriptores classicos lexicon seu dicendi genus imposuisse in historia universae architecturae; quod ut probaretur, templum graecum inspiciendum adiit orator, cum hoc praecipua praeberet elementa architectonica: et columnam et trabem. Quam plurima eaque subtilissima protulit de vocabulo «harmonia» deque ratione ac doctrina modulari apud Vitruvium, qui partium convenientiam cum universa re intimam considerat. Et illud classicorum «homo mensura rerum» in architecturam convertit orator ut incursionem quandam seu projectionem anthropologicam perficeret: si natura corpus humanum tam recte

aptatum tantaque ornatum concinnitate creaverit, quidni haec regula hominibus observanda in aedificiis exstruendis? Romani —inquit praeterea orator— lexico architectonico graecorum fideles extiterunt: tanta in eis erga syntaxim classicam inerat reverentia quod ad architecturam spectabat, adeo ut hoc exprimendi genus omni necessitati satis facere sibi videretur cum in primis columna praeterquam fundamentum aedificii esset, praecipuum ejusdem ornementum haberetur. Continuo orator posteriorem artem medievalem, romanicam, arabicam, renascentem, baroccum, neoclassicam revocando, historiam, fortunam, evolutionem hujus classicae unius syntaxeos architectonicae per saecula perseverantis ante oculos nostros proposuit donec nostra advenit aetas, quae ad architecturam quod spectat traditum lexicon antiquitatis classicae fere omnino amisisse videtur, quippe quae architectura recens, utpote utilitati in primis inserviens, proprio sermone seu dicendi genere careat et in ariditatem quandam atque egestatem inciderit. Utrum hodierna nostra architectura lexicum illud classicorum recuperabit necne? Minime in praesens videtur, sed haec rerum perturbatio expostulare quoque videtur nova praecepta quibus animi hominum acquiescant. En paucis verbis oratio omnino singularis atque absoluta, quae felicem exitum IV Conventui Studiorum Classicorum Barcinone finem imposuit.

IN URBE MATRITO DIE 19 MENSIS APRILIS

Cum Barcinone aliquot dies necessario immoratus me Matritum conferre non possem, amicum sodalemque claretianum, P. Julium Martínez, cui maximas ob epistulam notitiasque habeo gratias, admonitum volui, ut me ipse certiores faceret quo pacto Matriti essent IV Conventus ejusque negotia finitura.

Die igitur 19 mensis aprilis hora nona ante meridiem in Aula Magna Consilii Superioris Investigationum Scientificarum, Prof. A. Ruiz de Elvira praeside, Dctor. E. Hernández Vista commentationem legit de votis II Congressus Internationalis linguae hispanicae tradendae, qui paucos abhinc menses habitus erat omnibus nationibus linguae hispanicae participibus quique duo praecipua vota, ad linguam latinam et hispanicam tradendam quod spectat, ita significavit:

1. Ut omnis professor atque magister cujuslibet scholae ab infantia usque ad Universitatem linguam latinam discere jubetur.

2. Ut lingua latina tradatur alumnis institutionis mediae, iis in primis qui litteris operam sunt daturi.

Continuo Prof. Julius Calonge disputationem habuit hoc indice: «LA SITUACION ACTUAL Y LAS PERSPECTIVAS INMEDIATAS DE LA ENSEÑANZA DEL LATIN Y DEL GRIEGO EN EL BACHILLERATO» («QUALIS AD BACCALAUREATUM QUOD SPECTAT LINGuae LATInAE AC GRAECAE INSTITUTIO HODIERNA ET PROXIME FUTURA VIDEATUR»). Deinde Prof. F. Rodríguez Adrados alteram de re simili orationem habuit: «LA SITUACION ACTUAL Y LAS PERSPECTIVAS INMEDIATAS EN LA ENSEÑANZA DEL LATIN Y DEL GRIEGO EN LA UNIVERSIDAD» («QUALIS AD UNIVERSITATEM QUOD SPECTAT LINGuae LATInAE AC GRAECAE INSTITUTIO HODIERNA ET PROXIME FUTURA VIDEATUR»). Utraque disputatio luculentis argumentis scitisque commentariis instructa colloquiis singulis amplificata est; ex quibus rebus per tractatis omnibus quaedam innotuit haud parva obscuritas atque confusio qua in praesentia lex recens institutionis afficitur, non tantum ad disciplinas classicas quod spectat, verum etiam ad universam institutionem. Societas Hispanica Studiorum Classicorum legem recentem debita prosequitur reverentia, sed vehementissime obsercat ut in omnibus institutis religiose observetur et ut Ministerium Institutionis Nationalis Societatem de horarum in scholis distributione ceterisque negotiis quae ad linguam latinam ac graecam tradendam spectat, consulat. Praeterea, ut recens institutionis lex postulat, lingua latina necessario tradenda est in duobus curriculis scholaribus baccalaureatus polivalentis quem dicimus cum facultate eam amplificandi et eligendi in curriculo COU; linguam autem graecam alumni baccalaureatus polivalentis et COU suo arbitrio eligere possunt.

Societas Studiorum Classicorum et IV Conventus, recenti lege promulgata, a Ministerio Institutionis Nationalis quae sequuntur ex postulat:

1. Ne plures quam disciplinae duae in baccalaureatus polivalentis eligi possint in eisque lingua latina quae propriis verbis lege nominatur.
2. Ut in curriculo COU mathematicae excludantur tanquam disciplinae quas eligere possunt qui litteris vacare volunt.
3. Ut in COU etiam ad quattuor saltem augeantur disciplinae quae eligi possint in eisque lingua latina ac graeca inveniantur.

4. Ut lingua latina ac graeca ex ambitu seu «area linguarum» quae dicitur excludantur, cum ut nemini non patet, plus quam meriae linguae habeantur; absurdum enim videtur scholasticis esse linguam latinam, graecam aut francogallicam seligendam.

5. Ut ad Universitatem quod spectat quaestio persolvatur alumnorum que in eam ingrediuntur quin linguae latinae ac graecae studuerint; nam alumnū litterarum dedecet non linguae latinae nec graecae antea operam navavisse.

6. Ut Ministerium legem urgeat qua alumni sponte linguam latinam ac graecam eligere valent, ut in omnibus institutis hujus modi linguas discendi facultas eis praebeatur, ne, quod in non nullis institutis contigit, propter exiguum alumnorum numerum qui linguam latinam vel graecam optant, ab eis tamen prohibeantur, quippe quae, ut ita dicunt, haud parva impensa onusque videtur professorem unum per paucos discipulos instituere.

Hora septima postmeridiana ultima fuit sessio qua Conventus Studiorum Classicorum publice clausus est. Ibi concilio praerant Administer Institutionis atque Scientiae Nationalis, Dnnus. Villar Palasí, Moderatrix Generalis Institutionis Professionalis Dnna. A. Galino, Praeses Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum Prof. F. Rodríguez Adrados, Praesides IV Conventus in urbe Barcinone et Matrito Prof. Alsina Clota et Ruiz de Elvira, Praeses Consilii Superioris Investigationum Scientificarum et Prof. Martinus Sicherl Foederatarum Internationalium Societatum Studiis Classicis provehendis legatus.

Prof. Carolus García Gual a secretis Societatis Hispanicae Studiorum Classicorum vota IV Conventus quae antea memoravimus, legit. Continuo Prof. F. Rodríguez Adrados verba fecit pernecessarium esse studia classica recenti institutionis legi re vera ita accommodare ut hujus modi studia deinceps apud nostrates semper vigeant. Itaque totis viribus adlaborandum est ut non minus quam in praesentia lingua graeca excolatur omnibusque alumnis sufficiens linguae latinae tradatur institutio; item ut ad Facultates Litterarum quod attinet cum lingua latina tum graeca tanquam praeviae institutiones esse pergent ad omnes disciplinas humanas perdiscendas.

Prof. Ruiz de Elvira statim allocutus munus litterarum classicarum in cultum hominum hodierno paucis exposuit. Is tantum —inquit orator— cognoscit recentia qui et classica cognoscit, nam tem-

pora nostra, partim nova partim eadem ipsa, a superioribus non omnino inter se differunt. Novitas semper et omnibus non absoluta sed mediocris. Tentamina hominum spiritualia eadem perseverant, dum tantum materialia, quamvis fortuito, immutantur. Classici ad mentis cogitationem, ad artem, vel ad vitam nova ratione tentandam quod spectat, omnia experti sunt; quam ob rem tantum classicos cognoscendo progressum humanum quis vere cognoscit tantumque genuinam facere potest comparationem qui utraque et classica et recentia alte callere valet. Paucis, —inquit orator— dumtaxat studia humanarum litterarum earumque cultus perfectam absolutamque hodierni humani cultus cognitionem nobis afferre possunt. Quod ut assequamur, altissimam linguae latinae ac graecae cognitionem uti peritorum habere minime nobis opus est, sed earundem praecipua atque in universum elementa possidere. Demum orator fusius de operibus egit in lucem jam editis inde a superiore III Conventu, quibus patet quantum studia classica apud hispanos vigeant.

Simili ratione sensuque fervide hispaniceque verba fecit Prof. Martinus Sicherl, legatus Foederatarum Societatum Internationallium Studiis Classicis provehendis congratulatus Societati Hispanicae ob impensam operam industriamque hujus modi studiis excollendis.

Postremo Administer Institutionis atque Scientiae, oratione sua quam exaraverat praesidi IV Conventus tradita, ex tempore sed vere atque sincere dicere maluit; inter alia quae notentur digna Dnnus. Villar Palasí illos, in quibus potius quam vera vocatio inest vis ac necessitas, discipulos significavit qui metu linguae latinae ac graecae scientias discendas aggrediuntur et item contra qui mathematicis perterriti ad bonas litteras configuiunt. Ad IV tamen Conventum quod spectat, Administer Institutionis Nationalis se benevolo animo ejus vota suscipere asseruit atque cum adstantium sententia consentire de studiis classicis in ratione instituenda juventutis necessario provehendis.

His tandem finem imponamus oportet commentariis, quos jejune et exiliter scriptos nimisque longos forte quis aestimabit; sed momentum atque praestantia hujus IV Conventus Nationalis Studiorum Classicorum me eis purgabit de quadam in exponendis argumentis ariditate in primis ad disputationum indices quod spectat, quibus tamen, quamvis nimis quoque fastidiosis, lectores confertam absolutamque —quod nobis ab initio fuit propositum— notitiam de rebus gestis atque pertractatis in recenti Conventu invenient.

Liceat imo corde Societati Hispanicae ejusque moderatoribus, quorum cura industriaque ad felicem exitum pervenit Congressus, familiariter gratulari, dum Conventum Internationalem Studiorum Classicorum, qui postrema sessione publice nuntiatus est, Matriti quoque mense septembri anno 1974 habendum omnes nos classicae antiquitatis cultores exspectamus.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.
Palaestrae Latinae Moderator

LAUDATIVI ELEGI

IN DANTEM ALAGHERIUM

Non fuit, accipe, non tibi «parvi mater amoris»¹,
Ut scriptum legimus sub tumulo, in lapide,
Jam Florentia; natalem quin immo et eandem,
Qua linguae italicae es, semper et auctor eris,
Ipsa artem dedit. Haud, igitur, divine poeta,
Quae puerum te aluit dira noverca fuit.
Foedavere imitatores ipsius et artis,
Heu, decus atque tuam —nonne nefas?— speciem!
Numquid eum, qui, se simulans operis tui amicum,
Candidus, heu, judex non fuerit, memorem?
Est non parva cohors! Sunt etiam tibi multi
Obstantes, quos quam saepius inveniam!
Ambiguum sese gerit —adde— tuum prope apertum,
Cum te contemnat, laude et ad astra ferat,
Qui tamen ultro animum mira in «Comoedia» alumnis
Praebet eundem! Num sumpseris, o, sceleris
Ultrices poenas tanti? An sententia eorum
Pondere sub saxi non cruciaris adhuc,
Sustineas quod in imis vix cervice superba?²
Res major quam cui credibilis fuerit!³
Tu potius priscam tamen, unde reversus es, illam,
Post patria exsilium, jam remeasse viam
Ecce videris. Ibi te convenisse Beatrix
Jure putetur; adhuc aevo et ibi frueris
Aeterno, atque corona tibi caput aurea cingit,
Non jam laurea, quam Delphicus ille serit⁴.
O, inimicos quam tu conspicis inde pusillos!
Queis da nunc veniam, caelicola, e superis!

1. Ravennae, apud Coenobium Fratrum Franciscalium, in tumuli lapide haec verba leguntur, quae scripta ab ipso poeta putantur.

2. In illa «Comoediae» parte, quae vulgo «Purgatorium» dicitur, hoc modo superbi, ex lege «contraria patiundi» (italice: «del contrappasso»), puniuntur. Cfr. C. XI, 52 sgg.

3. Illa Dantis superbia in proverbium venit, cui jam nemo credit.

4. Delphicus = Apollo.

Cum demum vero lux ultima fulserit illa,
 Orbis et humani interitus generis,
 Ipse Deus, dum rauca tuba e tumulis trahet omnes⁵,
 Cum miserans veniam saepe reis dederit,
 Judicium tunc non mutabile prodet eisdem!⁶
 Nuntius illis, heu, non tibi, erit gravior:
 Judex tunc pro injuria adhuc, quam passus es ipse⁷
 Tamdiu, inulta, mox et satis Ille dabit.
 Cum cinis e tenebris et ad oras inde reversus
 Luminis ipse sit, en, aucta oculis acie,
 Vertice tunc e caeli inimicos aspice in imis!
 Ne quid adhuc minuant, Itale, te metuas?

IN ANTONIUM CARD. BACCI

Romae quot colitis memorandum nomen in orbe,
 Omnes quos ubivis Lingua Latina fovet,
 Tristes per vultum lacrimas, o, fundite: pullam
 Induti vestem vos patrique lares!
 Qui custos patrii fuit ipse decusque Latini,
 Quo numquam certe clarior alter erit,
 Jam modo per caelum sine nube superna petivit,
 E terrae gremio liber ut aura volans.
 Ultimum es, ut memini, fortis, certamen adortus,
 Sacra fere renuens more litare novo.
 Numquid adhuc ex Empireo prope dicere musses
 Rite preces latias mellifero ore tuo?
 Proelia nulla gerens, tantum sed multa trophyea,
 Terrigenae misero praevius esto mihi!

IN ANNAM SOROREM

Illius, dilecta soror, mandata diei
 Num repetam, mater cum ultima verba dedit?
 Lumina tum morientis adhuc sub fronte micabant,
 Nec peragrare suis disinit illa tua.
 Anxia (num dubites?) in eis responsa legebat:
 Stabas tuque tacens, facta dolore petra.

5. Ex «Apocalipseos» scriptis.

6. Eisdem... illis (initio sequentis versus) = hostibus.

7. Ipse = tu (Dantes).

Te tamen e tremulis, vitreis, percussit ocellis
Lux; animoque tuo matris adhaesit amor.
Jam te, dum caelis genetrix (mihi crede!) refulget,
Quis neget, Anna soror, matris habere locum?
Siderum inest tibi lux eadem, quibus illa micabat:
Lux tenebras lacerans, usque calore fovens;
Alma, serena, nitens, qua, lucis ad instar Olympi,
Justi rite beant angelique chori.
Suavis inest decor, Anna soror, tibi, in ore venustas,
Virtus, qua mulier praedita nulla fuit:
Candida simplicitas; hominum tu, nescia fraudum,
Omnia munda vides: sic Deo eisque places!
O quoties puerum nugis aut ludere vellem
Aequales inter, me repetisse pila,
Ut mihi adhuc puris labiis dare basia possis
Amplexusque simul, matris ut usus erat!

IN JOSEPHUM SODALEM

Quomodo, mente vagans, Joseph, de munere tanto,
More tuo modico, gratuler ipse tibi?
Non id voce mea faciam, sed cautus adumbrem,
Frondens Parrhasium quam nemus halat, eam;
Qua geminae rupes resonant echusque canorae
Parnassi rapiam verba feramque tibi.
Hoc bene quam meritum decus adsit quisque fatetur:
Pro pietate tua qua speculum usque micas,
Pro studiisque tuis, ludos quibus hujus honestas
Jure dioeceseos, praemia justa tenes.
Vitae nulla dies, nihil effluit, impiger, unquam
Temporis, o Joseph, de solidoque die:
Prudens ac sapiens sacris exemplar ephebis
Esto; super volitet nomen in ore tuum:
Cujus enim tantum juvenes exempla sequentur,
Illi, crede mihi, nobile nomen erit.
Ergo, tuum robur, Joseph, revirescat in annos
Ingeniique nitens esto favilla tui.
Vive diu magis ac magis, ut meliora parentur:
A Deo adhuc veniant quae bona cuncta cupis!

IN HECTOREM AMICUM

Munere perfecto, tandem requiesce placebit,
 Completis annis, Hector amate comes!
 Id, virtute tua, summo pro jure merebas:
 Nil saevisse quidem te meminisse juvet;
 Proelia justa tamen gessisti pectore firmo:
 Armpotens heros acer ut alter eras!
 Ast illum indigne caesum foedavit Achilles;
 Cum Lachesis tibi tot praestet adesse dies!
 Proelia nulla gerens, requietem ducere longam
 Nunc utinam liceat, teque serena beet
 Vita; vigens, vigil, o, bene carpe senectam!
 Ad multos annos stamina Parca neat!

IN CORNELIUM GALLUM⁸

(palinodia)

Nonne vides, annis bis millibus inde peractis,
 Haec aetas recolat nomen ut ipsa tuum?
 Artis te veteris revocat praeclarus alumnus.
 Est media in platea, Romae, obeliscus, ubi⁹
 Ingenti templum Petro stat mole dicatum;
 Huc illuc peragrans, hic sttit ille pedes.
 Cetera dum videt ast obelisci mira stupescens,
 En retegit loculos, quos gerit ima basis.
 «Hos aliquis fecit» —secum tum conicit ille—;
 «Litterulis aptos nonne fuisse putas?»¹⁰
 Illos Aegyptus posuit, ceu regis honori,
 Nomen vel dubitans num superesset adhuc.

8. Cornelius Gallus, poeta latinus (69-26 a. Chr. n.), ab Augusto, cui, ob honorum cupiditatem, odio fuit, in exsilium est actus, jure an injuste minime constat. Princeps, insuper, jussit ejus ne nomen quidem posterum memoriae mandaretur; Vergilium est ipsum hortatus, ut «Georgicon» locum, quem in illius honorem exarasset, in aliud aptiorem mutaret. — Cornelius, ceterum, permagni apud summos sui temporis poetas fuit, ut ipsum Vergilium, Propertium, Ovidium, cet.

9. Obeliscus insignis, qui, Romae, in platea S. Petri dicta, exstat, e proximis Orientis solis plagiis, ubi Cornelius regali prope honore divinoque utebatur, Romam translatus, imperatore —ut videtur— Caligula.

10. Aliquot abhinc annis, nuntium per «commentarios diurnos» allatum est quendam advenam, antiquitatum artis peritum, quaedam foramina (loculos) in ima obelisci parte retegisse, litterulis prorsus apta, quibus Cornelii Galli nomen efficeretur.

Quis vero dubitet fueris quin actus ab Urbe?
 Quin versus fuerit Vergiliique stilus? ¹¹
 Litterulas quamquam fregit lapidesque comedit
 Tempus edax, testes hos basis ante gerit:
 Ceu tristes etiam caveae loculi inde videntur
 Luminis illius nunc utriusque tui.
 Nunc patriam repetis, patriae jam finibus exsul:
 Invito, superest, Principe, nomen adhuc ¹².

MORS TUA - VITA MEA

—Nutriat, ut gallina suum, sic ubere mater
 Pignus adhuc puerum sedula dulce suum.—
 (Semper, amoris lege, jubet natura benigna)
 —Filius et matrem, cum jacet ista vetus.—
 Ipsa tamen, vetula, ast epulas gallina coronat
 Convivasque beat jure ciboque suo;
 Unquam nec pullus jam pipiat ipse tenellus:
 Lurconis jugulum placat idemque veru.
 Non eadem, nec lege quidem Sors omnibus una.
 Res hominesque regit: mors tua-vita mea!

INARIMES INSULAE EX PAMPINEA VITE ¹³

Densis non epulis puer
 Quae jam Romuleae miscuit inclitae
 Proli caecuba nec mera,
 Quae somnos leviores facit, impiger
 Misisti mihi; consulis
 Illius veteris nec pice conditas
 Injussu, sed in aurea
 Praeple jam domitas Inarime insula
 Uvas, quas radiis coquit
 Phoebus, coccineo murice et illinit.
 Frater, nunc tibi gratias
 Quas dignas referam, sedule, munere?

11. «Versus... stilus» = «Georgicon» locus adumbratur, in alium, Augusti jussu, a Vergilio mutatus.

12. Quamvis tempus edax litterulas, Cornelii nomen significantes, omnino exederit, foramina testantur tamen illud ipsum illic olim fuisse.

13. Gratiarum actiones pro vino, quod ex Inarime insula medicus frater misit (metro asclepiadeo III).

Numquid tu sapientius,
 Aeger cum fuerim, sic poteras, meas
 Ut mensas potius cadis
 Jucundis oneres quam medicas manus
 Praestes? Mox tua servient
 Non curis neque somnis levioribus,
 Musae sed comiti mihi,
 Etsi non merito, carminis ut furor
 Flagret jam vehementior,
 Omnino tua mox pocula servient;
 Rugas et capitis nives
 Spumans hic cyathus vix rapiat capax;
 Vitae at me fugiat nihil;
 Prorsus non animus deficiat mere!

CICONIA VENIT!

E longinquo jam rostrata ciconia venit,
 Leniter aera sub nubila transvolitans:
 Vimineam rosto, haud grave pondus, gestat acuto
 Cistam coniectam linteolis roseis.
 Ales ab immensis spatiis huc appulit; ecce
 Mox super excelso molle glomus posuit
 Culmine; vagit adhuc hujusce tenellula terrae
 Infans incola, dum praepes abit volucris.
 Quid quereis? Noli jam vixdum nata timere!
 Ex peregrina te providus ille Deus
 Civem fecit; te domus hic manet; omnia vitae
 Longius hinc utinam prospera te maneant!

PEGMA SCANSORIUM

«Plaudite mecum, omnes vos plaudite qui obstupuistis
 Japeti mirabilia hujus¹⁴
 Temporis egregii generis nova: si insidiosa
 Forte tamen discrimina vobis
 Sors aliquando paret, ne ultro dubitetis obire.
 Phoebeam ipsam appellere nixi
 Navicula oram homines nonne aethera transvolitant aut,
 Insidiis quae passim aditum abdunt,

14. Japetus, Terra (graeco sermone: Γῆς) filius; ipsius filii significant, ex antiquis fictis fabulis, hominum opes ad omnia constituenda idoneas.

Aequora verrunt? Nonne per invia, inhospita terrae
 Reptant, anfractus peragrantes
 Incertos, loca, vel specum interna horrida temptant?
 Ferri denique nonne vaporis
 Aut electridis haud pavidi omnes vi patiuntur?¹⁵
 Haec dum intus mente ipse agitabam,
 Atque foras aestiva dies fervebat in aura,
 Pegma, vel actam electride cellam,
 Consilium interea capiebat constituendi
 Quisque domus suae herus, paries cui
 Contiguus meus est, proinde ambas continet aedes
 Contignatio et ipsa. Quid isto
 Sollers consilio magis? Ecquis sprevit illud?
 Infausta at quidam omina dicet:
 —«Numquid non electridis, heu, satis usque paravit
 Funerum adhuc vis»? — Nil tamen unquam
 Consilium id sapiens pavor ullus jure resignet.
 Pegma, igitur, stridebit, ab imis
 Subsiliet, mox incipiet tolli, vice scandet
 Alterna primam superamque
 Aream et ultimam; itemque loco subsidet eodem,
 Quo se ante extulerit. Removendum
 Si quis forte minus faustum —pro!— cogitet, omen;
 Si timeat, male cesserit ipsi!
 Neve suum placet Genium ulla relligione¹⁶,
 Sed fide avi fretus senioris,
 Numen Jesu oculos per Virginis intueatur
 Matris, quae, quasi spiret in aede,
 Etsi fictilis, exigua, pulcherrima visu,
 Custos hinc pegmatis alma¹⁷.
 Si quis forsitan hic quaerat de me quid opiner:
 Nullus me pavor occupat, hercle!¹⁸
 Cursu versetur sursus breviore deorsus,
 Intortos duro chalybe ista
 Lignealuxta funiculos, vi electridis acta,
 Cellula; dum mihi crura, lacerti
 Articulos faciles habeant, exerceam ego. Sic
 Viribus ipse meis videar, quod

15. Haec pusilli animi homines putant. Nemo tamen neget aliquid veri in ipsa eorum inesse sententia.

16. Metus removendus quidem, improbandus vero quivis venae religionis error.

17. Deo providenti ac Virgini Mariae opitulanti confidant homines oportet.

18. Rhetorice dictum putetur, ut magis liquet inferius.

Ultro pegma nequit, sublime attingere caelum;
 Sic videar, levioribus actus
 Hinc pedibus simul et terrestris cuncta relinquens,
 Curarum expers fingere carmen! ¹⁹

CAPILLATI JUVENES ²⁰

Audistine novo ex promissi more capilli
 Laudis tot juvenes omnis habere decus?
 Samsonis enim redeunt nunc tempora prisca,
 Cum furor arripuit paene leonis eum?
 Tum vires animumque tulisse sed ecce refertur
 Per collum fusus forte capillus ei!
 Ossea nonne satis Samsoni vilis aselli
 Tunc maxilla, viros mille domans per eam?
 Num tantum potuit, nisi frontem crinis obumbrans
 Atque humeros, vires suppeditasset ei?
 An quaerunt juvenes, Samsonis more, leones?
 Usquam sed nulla est ora leone frequens!
 Auritis tamen, immensis malisque decoris,
 Usque frequens asinis terra videtur adhuc.
 Suntne capillati juvenes, qui proelia quaerant?
 Proximi eis asini, vel nimis, esse solent!
 Mox, igitur, studeant asini destringere malas:
 Proelio at huic quisquam forte superstes erit?

Prof. JANUARIUS MARINELLI
 Via Salvator Rosa, 241
 80136 NEAPOLI in Italia

19. Opes, rationes, argumenta denique humana, quae quidem non necessaria sint, reiciendo, ad sublimia attingenda magis parati homines, iidemque poetae fieri quodammodo possunt.

20. Hujus haec summa carminis: hic prae ceteris est nostrae aetatis mos vulgatus, ut complures juvenes se capillatos publice ostendant. — Samson quoque capillatus fuit, sed multa roboris animique, capilli gratia, signa praebuit. — Quin et nostri juvenes eadem praebere signa studeant? Desuntne leones? At non desunt asini, quos proximos sibi iidem inveniant, quorum et malis, robustis nec parvis, utantur.

CICERONIS SPECIMINA

CATO MAJOR DE SENECTUTE *

II

23. Consequitur prima contra senectutem incusatio:

'quod a rebus gerendis abstrahat'.

Quam incusationem ita Tullius evolvit atque argumentis refellit:

Qui hanc tenent sententiam de veritate decedunt —idque quibusdam propositis exemplis confirmat—, nam praeter corporis vires sunt ingenii animique virtutes quibus, vel corporibus infirmis, res administrantur. Multa faciunt senes cum rem publicam consilio, auctoritate, sapientia defendunt ac regunt: ut ad navigantium salutem aptiora facit navis gubernator, qui in puppi sedet et clavum tenet, quam remiges et nautae remos agentes aut hinc inde cursitantes. Et ideo maiores nostri rei publicae summum consilium —ubi senes sedent et sententias dicunt— 'senatum' dixerunt.

Prudentia igitur senescentis aetatis magis salutaris est civibus quam florentis aetatis temeritas.

—Ad commentaria progrediamur.

24. A REBUS GERENDIS SENECTUS ABSTRAHIT: *abstrahere* intentio-rem separationem a rebus significat quam *avocare*, quo verbo supra Tullius usus est.

25. QUIBUS? AN IIS...: de praepositione ejusque *repetitione* haec in mentem revoca:

1. In propositionibus dependentibus quae eandem ac primariam habent constructionem et *idem verbum*, praepositiones *fere omittuntur*; idque in primis in propositionibus relativis:

«Incidit *in* eandem invidiam *quam* [= *in quam*] pater suus» NEP., 5, 3, 1;

«His ego litteris lectis *in* eadem opinione fui, qua [= *in qua*] reliqui omnes» [fuerunt] CIC., ad Att., 8,11d, 3;

«Si *per* alios fecisse dicis, quaero *quos* [= *per quos*] servosne an liberos?» CIC. pro Rosc. Amer., 26, 74.

2. Contra vero est cum in propositione relativa est verbum *proprium*:

* Cfr. Palaestram Latinam, n. 214 ubi prima pars prodiit hujus de Senectute commentationis.

«Id tibi affirmo, te *in istis molestiis, in quibus es* hoc tempore, non diutius futurum» CIC. *ad fam.*, 4,13,4.

3. Praepositio —a quo pendent duo vel plura substantiva— semel exprimitur cum haec substantiva:

a) aut *unam* tantum rem designant vel notiones penitus conexas: «*In labore ac dolore*» CIC. *Tusc.*, 5,14,45;

«*Ut ad urendum et secundum, sic...*» CIC. *de off.*, 1,38,136;

b) aut cum nonnullae recensentur res —sed enumeratione quādam vivida et pressa—:

«*Quodsi hoc appareat in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris*» CIC. *de amic.*, 21,81;

c) aut cum oppositio adest quae rem definit vel explicat:

«*Cum duobus ducibus de imperio in Italia est decertatum, Pyrrho et Hannibale*» CIC. *de amic.*, 8,28;

«[Epicurus] levationem... aegritudinis *in duabus rebus* ponit, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates» CIC. *Tusc.*, 3,15,33;

d) in quaesitis et responsis quae arte cohaerent cum iis quae supra quaesita aut dicta sunt:

«*Sed traducis cogitationes meas ad voluptates. Quas? corporis credo aut quae propter corpus... cogitentur*» CIC. *Tusc.*, 3,17,37;

«*A Jove incipiendum putat. Quo Jove?* CIC. *de re publ.*, 1,36,56;

«*A rebus gerendis senectus abstrahit. Quibus?* —hoc loco Ciceronis—.

4. Contra, ante *singula* substantiva *exprimitur praepositio*, si singula propriam retinent vim et sensum:

a) cum iterantur conjunctiones *et - et, aut - aut, vel - vel, nec - nec*, aut adest *nisi*:

«*Aut in oppidis aut in agris*» CIC. *de l. agr.*, 2,18,48;

«*Non solum a me, sed etiam a senatu*» CIC. *in Catil.*, 3,2,4;

«*Neque ulla alia in re nisi in natura quaerendum est summum bonum*» CIC. *Acad.*, 1,5,19;

b) cum res diversae sunt:

«*De benevolentia ac de liberalitate dicatur*» CIC. *de off.*, 1,14,42;

«*Legati ab Aeduis et a Treviris venerunt*» CAES. *de b. gall.*, 1,37;

«*In vincla atque in tenebras abripi jussit*» CIC. *in Verr.*, 4,10,24¹.

26. AN IIS...: de particula *an* in interrogativa *directa* subtiliora

1. ISSELÉ, *De Latinorum sermone*, n. 230-234; BERGER, *Stylistique latine*, § 56, pp. 187-189; ERNOUT-TH., *Syntaxe latine*, § 143, p. 121.

quaedam ac diversa ratione scriptores tradunt —quorum loci infra memorantur—; quae tamen sequuntur recolere expedit:

1. particula *an* interrogare possumus quasi per ironiam, et responsum *contrarium* aut negativum exspectamus [= *num*]:

«Quid dicas? *An* bello fugitivorum Sicilia virtute tua liberatam?» CIC. *in Verr.*, 5,2,5 [: *o es que por ventura tú crees — oppure credi tu*].

«*An* in eo auctoritas nihil obest?» CIC. *Acad.*, 2,60.

2. Ut rem supra dictam plane confirmemus aut eam nullo modo probandam asseramus, interrogationem proponimus; exspectamus etiam responsum negativum [= *num*]:

«Nescio, ecquid ipsi nos fortiter in re publica fecerimus: si quid fecimus, certe irati non fecimus. *An* est quicquam similius insaniae quam ira?» CIC. *Tusc.*, 4,23,52.

«*An* Scythes Anarcharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi idem facere non poterunt?» CIC. *Tusc.*, 5,32,90 [: *o si può ammettere che...; o che forse A. ha potuto...*]

3. Ut interrogationem *generaliorem* supra positam subtilius definiamus, *aliam* subjungimus interrogationem praeposita particula *an*; ex sermonis tenore sensus negativus [«*an*» = *num*], aut affirmativus esse potest [«*an*» = *nonne*]:

«Hunc locum, id est ut ego te accipio dicere Arpinum, germanam patriam esse vestram. Numquid duas habetis patrias? *an* est una illa patria communis?» CIC. *de leg.*, 2,2,5 [*'an'* = *nonne*];

«Cur autem ea comitia habuisti? *An* quia tribunus plebis sinistrum fulmen nuntiabat?» CIC. *Phil.*, 2, 99;

«Quidnam beneficio provocati facere debemus? *an* imitari agros fertiles, qui...» CIC. *de off.*, 1,15,48 [*'an'* = *nonne*];

«A rebus gerendis... Quibus? *an* iis quae virtute... (hoc loco) [*'an'* = *num*] ².

— *Animadverte*: ergo parum dilucide ac subtiliter Berger scripsit (cfr. *Stylistique lat.*, trad. fran , 1942, 5, p. 21) —cum alibi de particula *an* nihil dicat—: «*An*, ou, particule interrogative, ne doit servir qu'au second membre d'une question disjonctive (!), apr  *utrum* ou *ne* au premier membre, et non dans une question simple (!). Quand l'interrogation par *an* se trouve seule,, chez les bons auteurs, il y a un premier membre par *utrum* sousentendu».

2. Cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, § 184; PAOLI, *Scriver latino*, § 256, c, d; ID., *Manuale di sintassi lat.*, § 150; TESCARI, *Sintassi lat.*, § 443-444; LLOBERA, *Grammatica class. lat.*, n. 388, III; BASSOLS, *Sintaxis latina*, II, n. 33, p. 37; MICHEL, *Grammaire du base du latin*, n. 463, d; KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus...*, s. v. *an*, I, p. 161.

27. JUVENTUTE ET VIRIBUS: est *hendiadys*: haec autem habetur cum duo substantiva copulantur particula *et* (*atque*, —*que*), quorum alterum *praecipuum* continet sensum, alterum vero *secundarium* —id est aliud substantivum est quasi alterius complementum—: idque —complementum— nostris linguis in adjetivum convertitur aut genetivum:

«ratio et doctrina» Cic. <i>Tusc.</i> , 3,1,2	<i>enseñanza metódica,</i>
«furor ac tela» Cic. <i>in Catil.</i> , 1,1,2	<i>tiros furiosos, rabiosos,</i>
«mihi vim et manus intulisset» <i>Ibid.</i> , 1,8,21	<i>hubieran puesto sobre mí violentemente sus manos: una mano dura, fuerte,</i>
«moderatio et sapientia»	<i>una sabia moderación,</i>
«clamores et admirationes»	<i>applausi clamorosi,</i>
«natura pudorque»	<i>pudore naturale,</i>
«juventus et vires»	<i>forze giovanili,</i>
«spectator et testis»	<i>testimone oculares,</i>
«studia et vitia»	<i>cattive tendenze,</i>
«ratio et diligentia» Cic. <i>de amic.</i> , 24,89	<i>scrupolosa attenzione,</i>
«studium et aures» Cic. <i>pro Arch.</i> , 3,5	<i>une oreille favorable,</i>
«ad pacem foedusque faciendum» <i>de sene.</i> , 6, 16	<i>un traité de paix,</i>
«cognitio atque ars»	<i>les connaissances théoriques.</i>

— Aliquando hendiadys etiam haberi videtur cum quibusdam adjetivis, adverbii, verbis:

«vita privata et quieta»	<i>la paz de la vida privada,</i>
«virtus clara aeternaque habetur»	<i>le mérite assure une gloire immortelle,</i>
«modice et sapienter»	<i>con sabia, con prudente moderación,</i>
«intus domique»	<i>dans l'intérieur de la maison,</i>
«perpeti et perferre»	<i>sufrir pacientemente.</i>

— *Animadverte*: sunt qui dividant hendiadem in *determinatam* seu *definitam* [*determinativa*] et *intentivam* seu *confirmantem* [*intensiva*]: id est cum duobus vocabulis *eadem fere* significantur, sed

acrior notioni seu sententiae dupli voce inseritur vis³. — Aptiore tamen ratione de hendiadi *propria tantum* loquemur — quae ab aliis *determinata* dicitur—, ac praeterea de verbis *duplicatis* seu *geminatis* quibus «sermonis abundantia» seu «copia dicendi» tantopere praestat et abundat : de quibus agit et exempla ponit Marouzeau (*Stylistique lat.*⁴, pp. 277-278; 247-249):

dux et magister — cura et studium — laus et gloria — vis et potestas — ope et consilio — imperio et potestate — dubius incertus — felix et faustus — notum ac pervulgatum — oro atque obsecro — delendum tollendumque — tuendam conservandamque.

28. RES SENILES [*ocupaciones propias de los ancianos — occupazioni senilli, atte ai vecchi*]: geminam formam syntacticam adhibent Romani ut relationes similes *qualitatis* et *possessionis* (*subjectionis* vel *dependentiae* vulgo dicunt grammatici) exprimant. Attamen notiones saepius diversae sunt: altera enim forma — quae genitivo effertur — vera *possessio* significatur; altera vero, quae in adjetivum vertitur, *qualitas* quaedam exprimitur; nam aliud est *pater familias* (genit.): 'pater, dominus *a quo* pendet familia'; aliud vero *familiaris filius*: 'filius qui in civium vita *ad familiam* pertinet'; *tribunus plebis* est 'qui est *ex plebe*'; *potestas tribunicia*, id est 'quam habent tribuni'.

Saepe tamen discrimin quod intercedit aperte non appareat, et alia in aliam formam converti potest. Adjectivum ratione in primis stilistica usurpat: eo enim animi et affectus significationes patifiunt. Scriptores sunt qui his adjetivis magnopere delectantur, et haec in notis latinitatis Sanctorum Patrum seu primaevae latinitatis christianaæ recensetur.

Exempla habes similia ac *res seniles*:

«*Puerili* specie, sed *senili* prudentia» CIC. *de divin.*, 2,23,50;

«*Doctrina puerilis*» CIC. *de orat.*, 3,31,125 [*l'enseignement donné aux enfants*];

«*Anilis* prudentia, *matronalis* gravitas, *suavitas puellaris* cum *virginali* verecundia» PLIN. *Epist.*, 5,16,2;

— apud christianos: «*dominica* mandata — *dominica* fides — *dominica* indignatio — dies *dominica* — dies *dominicu*s — apostolica *praecepta* — *divina* *praecepta* — *divina* misericordia»...⁴.

29. QUAE... ADMINISTRENTUR: oratio relativa-consecutiva: 'quae

3. Cfr. PAOLI, *Scriver latino*, § 27, pp. 56-58; CUPAIUOLO, *Guida da tradurre in lingua latina*⁴, n. 15, p. 15; ID., *Adjumenta latinitatis*, n. 15, pp. 23-24.

4. Cfr. MAROUZEAU, *Tr. de stylistique lat.*⁴, pp. 218-221; BERGER, *Stylistique lat.*, § p. 114.

res seniles *tales sunt (hujusmodi sunt) quae administrentur...*' (cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, § 337, c., p. 538).

30. CETERI: *ceterus* numero singulari masculino raro adhibetur; *cetera* —genere feminino— aliquando in collectivis: *cetera classis*, *cetera praeda*. *Ceteri* — *cetera* proprie adsificant 'eos qui, aut ea quae, restant aliis et saepe multis opponi': est igitur semper quae-dam oppositio; quae vero restant (= *cetera*) *numero plura* aut saltem *magna* et *praecipua* ipsa sua virtute et qualitate sunt. Discrimen tamen ab adjectivo *reliqui* non semper perspicue appareat.

«Ricorda che «gli altri» rendesi con *ceteri*, specialmente se è in-sito un senso di contrasto, di opposizione... e con i verbi *excellere*, *praestare*, *superare*, ecc.; con *reliqui* si significa «i rimanenti»; *alii* se ha il valore di «altri», cioè diversi dai precedenti» (CUPAIUOLO, *Guida a tradurre in lingua latina*⁴, p. 480).

— Eadem memorantur a Sturenberg (*ad Cic. pro Arch.* 95, cfr. GANDINO, *Lo stile latino*, 1962, pp. 2-3): «In vocabulo *ceteri* semper inest oppositio, cum contra in *reliqui* semper perspiciatur residuum aliquod: quare nullo modo cum verbis antecellendi, praestandi junctum legitur vocabulum *reliqui*, sed vel *ceteri* vel *alii*, nec magis invenies *praeter reliquos* pro *praeter ceteros*, ea scilicet significatio-ne, qua recentiores uti solent *prae ceteris*».

— Dicas oportet: *praeter ceteros* [sunt qui minus recte: «*praeter reliquos*» aut «*prae ceteris*»]: «più di ogni altro» — «más que los demás»; in rebus enumerandis: *ceteri*, *cetera* [minusque recte: 'et' *cetera*]; scribe: *ceteri*, *cetera* [minime vero: *caetera*]⁵.

31. FABRICII, CURII...: 'hujusmodi homines ut, homines hujusmodi virtutis ut Fabricius...'. — Nomina propria *numero plurali* efferuntur:

1. cum aliquot ejusdem familiae personas designant:
«Cn. et P. *Scipiones*»; — «C. et L. *Memmi*» CIC.;
«Publius et Gnaeus *Cornelii Scipiones*»;
«Tiberius et Cassius et Caius *Gracchi*».
— Sallustius tamen: «Tib. et C. *Gracchus*» Jug., 42, 1.
2. cum qualitates aut proprietates horum virorum significantur:
«*Croesi*» [homines ut *Croesus* divites];
«*Scipiones*» [homines hujusmodi virtute ornati ut *Scipio*];
«Imitetur nostros Brutus, Camillos, Ahalas, Decios, Curios,
Aemilius, innumerabiles alios»;

5. Cfr. PAOLI, *Scriver latino*, § 105, p. 158; BERGER, *Stylistique lat.*, § 5, pp. 71-72; § 113, e, p. 304; ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue lat.*, s. v. *ceteri*.

«Te cum video, omnes mihi Crassos et Laelios videre videor»⁶.

32. ACCEDEBAT UT CAECUS ESSET: «Verba et locutiones quae even-
tum significant, postulant subjunctivum cum *ut*, cum *ut non* in ne-
gatione; item ea quae notant facilitatem, necessitatem, opportunita-
tem, cet., ut aliquid fiat... — Accedit [se junta, allégase] postulat *ut*
vel indicativum cum *quod*. — Si id quod accedit non existit, sed
tantum supponitur, solum *ut* adhibetur: «Si vero illud quoque acce-
det *ut* dives sit reus, difficillima causa erit» (J. LLOBERA, *Gramma-
tica class. lat.*, 333, III).

33. TAMEN IS: de pronomine *is* cfr. supra n. 17 (superiorem *Palaestrae Latinae* fasciculum, n. 214, p. 75); et quanquam pronomi-
na (tertiae personae) plerumque subaudiuntur, apponitur tamen *is*
(*ea, id*) cum persona aut res designatur de qua in oratione superiore
sermo fuit:

«Erat comes ejus Rubrius quidam... *Is* ad eum istam rem de-
fert» CIC. *in Verr.*, 2,1,25,64;

«Dionysius servus aufugit. *Is* est in provincia tua» CIC.;

«Eunti mihi Antium venit obviam tuus puer. *Is* mihi litteras
abs te... reddidit» CIC. *ad Att.*, 2,1,1.

— Pronomen *is* apponatur *oportet* cum ad *complementum ora-
tionis superioris* refertur:

«Placuit dici dictatorem Camillum. *Is* Servilium Ahalam ma-
gistrum equitum dixit» LIV., 6,2,5.

34. SENTENTIA SENATUS: substantivum *personae* (nostrarum lin-
guarum) saepe in substantivum ejus rei vel qualitatis mutatur quod
actionem seu proprietatem praecipuam designat, *addito genitivo vel
dativo personae*:

«Sententias judicum corrumpere» CIC. *pro Client.*, 44,125 [*corrom-
pre les «juges»*];

«Voluntati alicujus morem gerere» CIC. *pro Mur.*, 23,46 [*céder à
«quelqu'un»*];

«Interrumpere orationem alicujus» CIC. [*interrumpir a «uno»*].

— Idque in primis evenit cum substantivis *corpus*, *animus*, *vo-
luntas*, *similibus*, quibus pressius ea hominis pars significatur ad
quam actio verbi refertur:

«Corpora cibo somnoque curant» LIV., 3,2,10;

6. Cfr. ISSELEÉ, *De Latinorum sermone*, n. 26; LLOBERA, *Grammatica class.
lat.*, n. 391, IV.

«Velle potuisset obsequi voluntati tuae» CIC. [querría que «te» hubiese podido atender debidamente];

«Sententia senatus inclinat ad... [«le sénat» se décide pour...]»⁷.

35. AD PACEM FOEDUSQUE FACIENDUM: *hendiadys*, cfr. supra n. 27 [un tratado de paz — un traité de paix].

36. NON DUBITATE DICERE: *non dubitare* [no tener ningún reparo en...] saepissime construitur *cum infinitivo*:

«Hostes non dubitaverunt proelium committere».

— Etiamsi hunc sensum non habeat, invenies tamen:

«*Noli dubitare caelum esse patriam nostram*»;

«*Non dubitandum est vos optimos discipulos futuros esse*»⁸.

37. QUAE VERSIBUS PERSECUTUS EST ENNIUS [poner en verso — mettere in versi]: cfr. similes locutiones:

alicujus laudes versibus persequi;

alicujus laudes atque virtutes canere;

alicujus res gestas versibus ornare, celebrare;

historiam versibus scripsit;

hujus viri virtutes delicatissimis versibus expressit⁹.

38. QUO... VIAI = *in quam viam*; cfr.: «Quo amentiae progressi estis» LIV., 28,27,12.

— In his versibus animadverte:

1. *oxymoron* [acutistulta]: *mentes... dementes*: «qua figura notiones inter se oppositae pugnantes conjunguntur» (cfr. SPRINGHETTI, *Lexicon linguisticae*, s. v. *ossimoro*); «Absentes adsunt et egentes abundant et imbecilli valent et... mortui vivunt» CIC. *de amic.*, 7, 23;

«Cum tacent, clamant»;

«Festina lente».

2. Sententiae *antithesis* quoque inest;

3. Legendum *antehac* duabus tantum syllabis, et *vi-ā-i* tribus syllabis, ut saepe apud antiquos poetas; ergo habes:

āntehāc / dēmēn / tēs sē / sē flē / xērē vi / āi,

in quo hexametro gravitatem et spondeorum tarditatem facile percipies.

7. Cfr. ISSELE, *De Latinorum s.*, n. 7, 3; BERGER, *Stylistique lat.*, § 83, 3, p. 226.

8. Cfr. PAOLI, *Manuale di sint. lat.*, § 228, pp. 225-226; LLOBERA, *Grammatica class. lat.*, 334, NB, 1; ERNOUT-TIL, *Syntaxe lat.*, § 314, p. 311.

9. Cfr. MEISSNER, *Phraséologie latine*⁵, p. 140; WARNER, *Lexicon latinum universae phraseologiae...*, s. v. *versus*.

39. CETERAQUE: disputant scriptores de efferendis seu enuntian-
dis syllabis finalibus brevibus quibus enclitica —*que* additur. Nostra
aetate plerique extremam semper acuunt syllabam ante encliticam
et in longam convertunt (cfr. NIEDERMANN, *Phonétique historique*
*du latin*⁴, p. 14; BERNARDI PERINI, *L'accento latino*, 1964, pp. 37-40);
sunt qui rem in controversiam adducant, neque desunt qui contra-
riam omnino teneant sententiam, ut P. Llobera (*Grammatica class.*
lat., n. 15, in infima pagina: ubi Nebrissensis et alii memorantur
conspicui scriptores et argumenta proponuntur).

Ceteraque gravissime: omittitur verbum praesertim in communi
sermone et epistulari:

1. in locutionibus familiaribus et quasi proverbiis:

«Di meliora» [dent]; «Fortuna fortis» [adjuvat];
«Sed de litteris hactenus» [dictum est].

2. in interrogationibus et formulis oratoriis:

«Quid vero ille Cato?» CIC. *de orat.*, 1,37,171;

«Quid illi ipsi summi viri? istane doctrina eruditii fuerunt?» CIC.
pro Arch., 7,15;

«Quid? qui etiam addiscunt aliquid?» CIC. *de sen.*, 8,26;

«Nisi quid habes ad haec» CIC. *Tusc.*, 1,23,55;

«Recte tu quidem» CIC. *de amic.*, 9,33.

3. cum aliorum dicta memorantur saepe desunt verba *inquit*, *ait*,
dicit, *putat*, *existimat*:

«Cipius olim: Non omnibus dormio» CIC. *ad fam.*, 7,24,1;

«Philosophia quid est aliud nisi, ut Plato, donum, ut ego, inven-
tum deorum?» CIC. *Tusc.*, 1,26,64.

4. interdum reticetur verbum in sententia primaria, (praesertim
verbum *facio* et *dico*) expresso saepe adverbio:

«Qui in virtute summum bonum ponunt, *praeclare* illi quidem»
[*faciunt*, *ponunt*] CIC. *de amic.*, 6,20.

5. in temporibus infiniti et forma periphrastica:

«Id sese *effecturos* sperabant» CAES. *de b. gal.*;

«*Habenda* ratio valetudinis, *utendum* exercitationibus modicis,
tantum cibi et potionis *adhibendum* ut reficiantur vires...» CIC. *de*
sen., 11,36.

6. verbum saepe omittitur post adverbium *hinc*, praesertim in
enumerationibus oratoriis:

«*Hinc* illae lacrimae» TER. *Andr.*, 1,1,99;

«*Hinc* sicae, *hinc* venena, *hinc* furta, peculatus, expilationes, *hinc*...»
CIC. *de off.*, 3,8,36.

7. saepe deest verbum *esse*:

a) in proverbiis: «Summum jus summa injuria» CIC. *de off.*, 1,10;

«Omnia *praeclara rara*» CIC. *de amic.*, 21,79.

b) in brevioribus sententiis:

«Rarum genus» CIC. *de amic.*, 21,79;

«Vincere bello, Romanum».

c) in exclamationibus et interrogationibus oratoriis:

«Num igitur horum senectus miserabilis, qui...» CIC. *de sen.*, 16,56;

«Illud egregium Sextii»;

«Illa praeclara, in quibus publicae utilitatis»...

d) in antithesibus brevibus et in his quae acriter opponuntur:

«Crudelitas vestra gloria nostra» TERTULLIANUS.

«Aliud agendi tempus, aliud quiescendi» CIC.

e) in rerum enumerationibus brevibus et in descriptionibus raptim factis:

«Hujus Lyco oratione locuples, rebus ipsis jejunior. Concinus deinde et elegans hujus Aristo... Scripta sane multa et polita...» CIC. *de fin.*, 5,5,13.

«Paratus veniebat Crassus: non multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis...» CIC. *Brut.*, 43,158.

f) in quibusdam loquendi formulis familiaribus:

«Quid mirum». «Minime mirum». «Nihil ad nos aut, si ad nos, nihil ad hoc tempus» CIC. *in Pis.*, 28,68.

— Hanc vero locutionem (*ceteraque gravissime*) vertere poteris: «*y el resto del discurso* (pronunciado en estilo) *tan grave y solemne*» — «*il resto del discorso* (pronunciato in stile) *da destare profonda impressione*»¹⁰.

40. ET TAMEN: *y por lo demás (aun sin estos versos lo conocéis por...) — e d'altra parte...*

41. EXSTAT: dicitur de rebus et in primis de scriptis quae ad nostram aetatem permanent:

«Ejus nulla *exstant scripta*» CIC. *Brut.*, 36.

42. SEPTIMO DECIMO ANNO: de numeralibus id tene: dicitur *tertius decimus* [rectius quam *decimus tertius, quartus, septimus...*]; *unus et vicesimus* (cfr. CIC. *ad fam.*, 14,5,1), [minus saepe: *primus et vicesimus, vicesimus primus*]; at dicitur semper: *undecimus, duodecimus* [non: «*decimus primus, decimus secundus*»].

43. INTER DUOS CONSULATUS: de exitu hujus accusativi —duo—

10. Cfr. ISSELÉ, *De Latinorum s.*, n. 134, 135, 136, 137, 138; BERGER, *Stylistique lat.*, § 89, pp. 241-247.

disputant grammatici; haec tamen memoria tene: Cicero adhibet *duo* et *duos*, Caesar, in commentario *de bello gallico*, *duo*, *duos* vero in commentario *de bello civili*; Sallustius usurpat *duos*; apud Livium «saepius» *duos* legimus, «tantummodo» *duos* apud Tacitum.

44. EX QUO INTELLEGITUR: cfr. similes loquendi formulas:
- «Ex quo *conficitur ut...*» CIC. *de div.*, 2,145;
 - «Ex eo *hoc conficitur... esse*» Ibid., 1,63;
 - «Socrates ex eo... aliquid *conficere malebat*» Ibid., 1,53;
 - «Bene *colligit* haec pueris esse grata» CIC. *de off.*, 2,57;
 - «Ex eo *colligere* potes quanta occupatione distinear» CIC. *ad Att.*, 2,23,1;
 - «*Relinquitur ut...*» CIC. *ad Att.*, 10,8,2.
 - «*Sequitur nihil deos ignorare*» CIC. *de div.*, 2,205;
 - «*Sequitur ut nihil paeniteat, nihil desit*» CIC. *Tusc.*, 5,18,53;
 - «...*sequitur ut ea exsistat ex honestate*». *Tusc.* 5,23,67;
 - «Ex quo illud natura *consequi, ut...*» CIC. *de fin.*, 3,12,64;
 - «Ex quo *efficitur*» CIC.;
 - «In quibus [libris] vult efficere animos esse mortales» CIC. *Tusc.*, 1,31,77;
 - «Quid efficiatur e quoque» CIC. *Orat.*, 32,115;
 - «Ex quo fit ut animosior etiam senectus sit» CIC. *de sen.*, 20,72.

45. PYRRHI BELLO: voces quae tempus et temporis partes significant (dies festos, ludos, publicas contiones), aetatem, munera, eventus (*pax*, *bellum*, *discessus*, *adventus*...) ablativo *sine* praepositione efferentur adjecto genetivo vel adjektivo;

- «Quid proxima, quid superiore nocte ageris» CIC. *in Catil.*, 1,1;
- «Die septimo pervenit Caesar» CAES.
- «hieme» — «aestate» — «idibus martiis» — «calendis» — «ludis Apollinaribus»;
- «occasu solis» — «adventu Caesaris» — «quarto consulatu»;
- «bello gallico» — «bello civili» — «bello Punico»;
- «prima aetate» — «prima pueritia» — «extrema senectute».
- At: '*in' pueritia* — '*in' senectute* — '*in' tali tempore*.
- Neque desunt exempla in quibus praepositio *in* addatur *adjectivis*:
- «*in* civili bello» CIC. *Phil.*, 2,47.
- «*in* consulatu nostro» CIC. *pro Arch.*, 11,28.

46. ACCEPIMUS: dicitur de eo quod memoria proditum est — quod memoriae traditum est —, id est famā monumentisque litterarum; *scimus* vero ea, quae nostra scientia didicimus aut experti sumus, significat (Cfr. GANDINO, *Lo stile latino*, 1962, p. 12, n. 1).

EXERCITATIONES SCRIBENDI ET LOQUENDI

47. Nunc vero, ne aures animique vestri tanta praeceptorum serie fatigentur aut opprimantur, juvabit pauca a vobis, ex iis quae dicta sunt, exquirere, ut et nos vobiscum latine nonnihil colloquamur, et ut vos quae tradita sunt, facilius memoria teneatis.

Colloquium igitur exordiamur.

Num abstrahit a rebus gerendis senectus?

Quo modo adulescentes res gerunt? viribus et juventute?

Vidistine senes? Suntne vires in sene? et prudentia?

Quae res a senibus administrari possunt? — Sed qua ratione res a senibus administrari possunt cum infirmis sint corporibus?

Scisne quae fecerit Q. Maximus?

Et Fabricius, Curius aliquie quo modo rem publicam defendebant?

Qui etiam vocantur Fabricii, Curii...?

Quis fuit Appius Claudius? Quo corporis morbo afficiebatur?

Ovidius (*Fast.*, 6, 203) de eo: *lumine captus*, quid hoc?

Cum Censor fuit, quid in Urbe struxit?

Quae via Romae maximā ornatur fama?

Quo, auctore Appio, via illa pervenit? Capuamne?

Quid autem tempore Hannibalis Capuae accidit?

Quo sententia senatus inclinabat? Ad quid?

Estne idem *senatus inclinabat* et *sententia senatus inclinabat*? Quare Romani ita loquebantur?

Quid valet ad *pacem foedusque faciendum*?

Sententiam, quam Ennius versibus persecutus est, tu alio exprime —verte— modo...

Quod carmen scripsit Ennius?

Quoties consul creatus est Appius?

Aliumne magistratum init — adeptus est — gessit — obtinuit?

Quod est discrimin in his verbis adhibendis?

Quot anni interfuerunt inter duos consulatus?

Quis erat consul? Quot erant Romae consules?

Quo tempore Appius censor fuit?

Quid a patribus *acceperat* Tullius?

Qui erant *patres*?

Pyrrhi bello Appius qua erat aetate?

Quid significat «grandem esse»?

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor

Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

AUREAE SUB OCTAVIANO AUGUSTO LITTERAE LATINAЕ

Romae, devicta factione Pompeiana apud Pharsalum anno a. Chr. 48 a Caesare, haud pauci fuerunt poetae. Antea autem poesis latina pubescebat potius quam florebat. Cujus rei ea est causa, quod Romani, gens agrestis, ingenio magis politico et militari praediti, prisca illa instituta et majorum mores plus solito servabant. Alia causa in eo est posita, quod cultus graecus post subjectam Graeciam anno 146 a Romanis, victores magis effeminavit quam roboravit. Accedit acerrima inter optimates et populares pugna et populi romani per proceres despoliatio. Nec Romani, insatiabili nationes exteris subiungi siti adducti, ad eum cultus gradum ascenderant, quem Graeci sub Pericli erant consecuti. Cultus ac litterae nobilium Urbis familiarium propriae erant, sed tantum, ut eas quasi ornamentum et ad vitam molliter ducendam adhiberent.

Tandem Octavianus Augustus, cum, devictis adversariis, perpetuis bellis civilibus finem imposuisset et pacem quadraginta annorum dedisset, effecit, ut Italia exhausta requiesceret et artes ac poesis sensim se explicarent. Nam inter arma Musae silent. Nec silentio praetereundum videtur pristinam illam disciplinam Romanam nihil amisisse roboris et administrationem civilem ordinemque juridicum tantopere viguisse quantopere apud nullum tunc aetatis populum. Ita factum est, ut Europa occidens et oriens in unum coalescerent imperium eodem sermone iisdemque armis bene custoditum. Artes quidem, litterae, scientiae animorum eruditio sub graeco manebant impulsu neque Romanorum quisquam earum praestantiam negabat.

Excudunt alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos de marmore ducere vultus,
Orabunt causas melius caelique meatus
Desribent radio et surgentia sidera dicent (Aen. 5, 847-850).

Fuerat momentum vere grande, cum imperium romanum est conflatum et spiritus graecus romanum intime maritavit. Nam inde nata est florentissimus cultus romanus, innixus quidem et insertus graeco. Quemadmodum solutae orationis Cicero, ita poesis aetate augusta vates fuerunt auctores. Perpoliebant enim linguam duram et

mollem flexibilemque reddebat et vocabulorum copia, varietate, elegantia et dignitate ornabant. Cujus aetatis vates illustrissimus, Homeri imitator celeberrimus, Dante Aligheri ac medii aevi poetarum epicorum magister est, VERGILIUS, vir maxime placidus et assiduus, anima candidissima. Etsi Homeri ingenium non aequet, habet tamen unde poesis plurimum discat. Bucolica anno 31 foras data vitam pastoralem vivide ante oculos ponunt. Auctor enim ex temporibus turbulentissimis ad vitam rusticam pacis plenam confugerat.

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
 Silvestrem tenui musam meditaris avena...
 tu lentus in umbra
 Formosam resonare doces Amaryllida silvas...
 Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
 Fronde super viridi...
 Et jam summa procul villarum culmina fumant
 Majoresque cadunt altis de montibus umbrae.
 Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae (Ecl. 1).

Nec multo post Vergilius carmen Georgicum edidit, quo sensus lyricus, argumentum eximium et venustas poetica arte conjunguntur! Idemque carmen ex animo optimo et sincero est natum, vitam humanan amore et benevolentia complectens.

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
 Vertere, Maecenas, ulnisque adjungere vites
 Conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
 Sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
 Hinc canere incipiam... (Georg. 1, 1-5).

Agricultura, cultus arborum, vitium, pecoris et apium: haec sunt argumenta Carminis. Quantopere laudat vitam rusticam!

O fortunatos nimium, sua si bona norint
 Agricolae, quibus ipsa procul discordibus armis
 Fundit humus facilem victum justissima tellus (2, 458-60).

Sed Aeneis summum Vergilio peperit triumphum.

Arma virumque cano, Trojae qui primus ab oris
 Italiam profugus fato Laviniaque venit
 Litora... dum conderet urbem
 Inferretque Deos Latio, genus unde Latinum
 Albanique patres atque altae moenia Romae (Aen. 1, 1-7).

Quid autem persequerentur Romani, his dixit:

Imperium sine fine dedi... (Aen. 1, 278-80).

Tu regere imperio populos, Romane, memento

Parcere subjectis et debellare superbos (Aen. 6, 851-52).

ALBIUS TIBULLUS elegorum elegantissimorum fuit poeta; vir ingeniī tenerimi, solitudinis amans, morte, quam praesagiebat, immatura correptus. Elegorum argumentum dolor est et gaudium. Celebrat potissimum pacem et vitam agrestrem beatam. Flagrat aetatis aureae desiderio, qua nec arma nec bella fuerunt, laudat simplices majorum mores et pietatem veram. Animi motus ac sensus scite pingere scit. Carmina in Deliam amatoria eum immortalem fecerunt.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?

Quam ferus et vere ferreus ille fuit.

Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,

Tum brevior dirae mortis aperta via est (I, 10, 1-4).

Quisquis adest, faveat: fruges lustramus et agros,

Ritus ut a prisco traditus exstat avo.

Bacche, veni dulcisque tuis e cornibus uva

Pendeat et spicis tempora cinge, Ceres.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator

Et grave suspenso vomere cesset opus...

Casta placent Superis, pura cum veste venite

Et manibus puris sumite fontis aquam...

Di patrii, purgamus agros purgamus agrestes,

Vos mala de nostris pellite liminibus (II 1 ss.).

HORATIUS FLACCUS sumit materiam ex natura, vita cotidiana graecorum deorum fabulis et quidquid ei occurrebat, ejus mobili animi ingenio ansam dabat. Conjungit vere humanitatem cum pulchritudine et venustate, bona et proba cum utilibus, vitam jucundam cum gravi virtutum romanarum studio. Scit quoque seria immiscere jocosis, ridet suaviter stultias humanas, cavillatur tantum homines despctos acerbis facetiis. Sive docet sive monet, non est importunus aut insolens. In luctu et gaudio, timore et spe, odio et amore nunquam modum excedit, suam laudatam sequens «auream mediocritatem».

Integer vitae scelerisque purus

Non eget Mauris jaculis neque arcu,

Non venenatis grava sagittis

Fusce, pharetra (Carm. 1, 22).

Aequam memento rebus in arduis
 Servare mentem, non secus in bonis
 Ab insolenti temperatam
 Laetitia... (Carm. 2, 10).

Justum et tenacem propositi virum
 Non civium ardor prava jubentium
 Non vultus instantis tyranni
 Mente quatit solida... (Car. 3, 3).

Rectius vives, Licini, neque altum
 Semper urgendo...
 nimium premendo
 Litus iniquum.
 Auream quisquis mediocritatem
 Diligit, tutus caret obsoleti
 Sordibus tecti, caret invidenda
 Sobrius aula (Car. 2, 10).

Cur invidendis postibus et novo
 Sublime ritu moliar atrium?
 Cur valle permutem Sabina
 Divitias operosiores? (Car. 3, 1).

Crescentem sequitur cura pecuniam
 Majorumque fames...
 Quanto quisque sibi plura negaverit,
 A Dis plura feret. Nil cupientium
 Nudus castra peto et transfuga divitum
 Partes linquere gestio (Car. 3, 16, 18-24).

Si figit adamantina
 Summis verticibus dira Necessitas
 Clavos, non animum metu
 Non mortis laqueis expedites caput (Car. 3, 24,5).

Nunc est bibendum, nunc pede libero
 Pulsanda tellus. Nunc Saliaribus
 Ornare pulvinar Deorum
 Tempus erat dapibus, sodales (Car. 1, 37-40).

Vis consili expers mole ruit sua,
 Vim temperatam Di quoque provehunt
 In majus; idem odere vires
 Omne nefas animo moventes (Car. 3, 4, 69-72).

Beatus qui procul negotiis
Ut prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis (Epod. 2, 2, 1-3).

Persuasum poeta habebat se carmnibus lyricis perenne sibi posuisse monumentum. Ideo cecinit:

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius
Quod non imber edax non aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series nec fuga temporum (Carm. 3, 30).

OVIDIUS NASO natus poeta —suae aetatis recens, Romae depravatae carissimus— cuius ingenium versus elegantes scribendi nemo est assecutus.

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos
Et quod temtabam scribere versus erat (Tristia 15, 10, 25, 26).

Inter auctoris opera excellunt Metamorphoseos libri quindecim. In iis cunctas antiquitatis mutationes sive fabulas colligit et in artificium praeclarissimum contextit. Quas fabulas mythi Graeci in tanta copia et tanta hominum eventuumque varietate auctori praebebant. Metamorphoses facile intelleguntur ex nativa aetatis priscae religione, qua homines intima cum natura familiaritate vivebant et res inanimas animari et animalia in homines mutari posse putabant. Est opus hoc multum copiosum; sed auctor molestiam, quae facile legentibus irrepere possit, variando argumenta et scaenis tristibus laetibus laetas submittendo mitigat et ita carmen longum vivide ante oculos ponit. Quis est, quin laudet:

Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo
Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.
Poena metusque aberant...
Ver erat aeternum placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores... (Metam. 1, 89 ss).

Protinus inrupit venae pejoris in aevum
Omne nefas fugitque pudor verumque fidesque...
Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus...

Occupat hic collem, cumba sedet alter adunca
Et dicit remos illic ubi nuper ararat...
Et modo qua que graciles gramen carpsere capellae,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocae (294 ss).

Quis non admiretur Narcissum et Echo, agricolas Lydios in ranas mutatos, Nioben?

«Icare «ait» moneo, ne, si dimissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola...
Me duce carpe viam...
At pater infelix jam non pater: «Icare, dixit,
Icare, dixit, ubi es, qua te regione requiram? (8, 204 ss).

Philemon et Baucis.

Interea totiens haustum cratera repleri
Sponte sua per seque vident succrescere vina
Attoniti novitate stupent...
Unicus anser erat, minimae custodia villae,
Quem Dis hospitibus domini mactare parabant.
Ille celer penna tardos aetate fatigat
Eluditque diu tandemque est visus ad ipsos
Configuisse Deos. Superi vetuere necari (8, 679 ss).

Praesentiens mortem gloriam perennem celebrat:

Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira nec ignis
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat aevi.
Parte tamen meliore erit indeleibile nostrum...
Ore legar populi perque omnia saecula fama,
Si quid habent veri vatum praesagia, vivam (15, 871-79).

SEXTUS PROPERTIUS (40-50) natus vix viginti annos elegorum libro Cynthiae suae carissimae dedicato summan totius Urbis amiracionem movit. Carmina, quae inter felicitatem summan et dolorem sumnum fluctuant, amore ardent et legentes accedunt. Auctor dissoluta Cynthiae familiaritate monitu Augusti imperatoris animum ad carmina patria adjecit. Utitur sermone brevi et presso, qui difficulter intellegitur; fascinat autem robore animique affectibus, copia argumentorum et imaginationis varietate. Elegia libri quarti undecima jure elegiarum omnium regina censemur, qua ipse Goethe, poeta clarissimus, totus est terrefactus. Qua elegia Cornelia quaedam e se pulchro maritum vivum alloquitur.

NICOLAUS MANGEOT, S. J.
Haus Sentmaring
44 Münster (Westf.)
Sentmaringer Weg. 55-57

B I B L I O G R A P H I A

FERNÁNDEZ GALIANO, M. — *Manual práctico de Morfología verbal griega*. Ed. Gredos. Madrid, 1971. Pág. 402.

Haud sane facile consilium auctor in hoc opere iniit, id est centum quinque linguae antiquae difficillimorum et praestantissimorum verborum testimonia ad artem grammaticam pertinentia, veluti in compendium redacta, lectoribus tradere. Quibus quidem in tradendis duo auctori vitanda erant, ne scilicet, dum doctrinam tradere intenderet, eam scientiae et artis praeceptis spoliaret et, quod totum contra est, ne ipso ea quae in rebus grammaticis fiunt penitus investigante, alumnus vel lector, ipsa rerum difficultate victus, animo frangeretur. Nec hae solae hujus libri sunt virtutes. Uniuscujusque verbi nomina enodare auctor intendit, quod ut melius adsequatur, haec verba ad alia ejusdem linguae graecae vocabula confert nec non ad alia earum linguarum vocabula quae indoeuropeae vocantur. Ea etiam qua doctus est linguae mycenicae scientia auctor utitur. Litterarum vero laringalium disciplinam quam dicunt re tantum cogente adhibet. Maximaе tandem, ut credimus, utilitati erunt lectori diversi rerum et vocabulorum indices qui in fine libri apponuntur.

JESUS ASPA, C. M. F.

WIMMEL, W. — *Zur Frage von Vergils dichterischer Technik in der Aeneismitte. Der Beginn der Feindseligkeiten in Latium*. Marburg/Lahn, 1969. Pag. 21.

Simplici ratione inquiritur in hoc libello vis epica Vergiliana et specia-

lis forma, qua Mantuanus procedit ab initio totius Aeneidos, in propnendis hostibus populisque qui inter se pugnare conantur. Sunt quaedam notatu digna ad illustranda ea quae ad hanc rem pertinent.

ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. — *Der kleine Pauly. Lexikon der Antike auf der Grundlage von Pauly's Realencyclopädie der klassischen Altertumswissenschaft...* 20 Lieferung: *Optimates - Phoinix*. Alfred Druckenmüller Verlag in Stuttgart, 1970 (Band IV, Sp. 321-800).

Continet hic fasciculus partem alteram quarti voluminis hujus operis, magni quidem momenti, de quo prius in superioribus numeris horum commentariorum mentionem fecimus. Tum moderatores tum scriptores, qui inter principes hac aetate recensentur, omni laude sunt digni, quia revera magnam encyclopediam, quae nomine Pauly-Wissowa cognita est, non tantum arcant et compendiose congerunt, sed etiam ad hoc tempus mirifice aptant et reficiunt.

BLÜHER, K. A. — *Seneca in Spanien*. Untersuchungen zur Geschichte der Seneca-Rezeption in Spanien vom 13. bis 17. Jahrhundert. Francke Verlag Bern und München, 1969. Pag. 503.

Iloc opus de Seneca ab scriptoribus hispanis in eorum operibus receptum magni momenti est magnique laboris. Multum auctor sudavit et alsit praecipuas bibliothecas hispanicas percurrendo et alias quae in Europa prae-

stant et qualitate et quantitate librorum, qui in ipsis accurate servantur. A prima media aetate diligenter afferruntur testimonia de vi atque momento Senecae in praecipuis scriptoribus hispanis omnium temporum; sed in primis auctor inquirit scriptores a decimo tertio saeculo usque ad saeculum decimum sextum. Attente consideravimus quae de Senecae vestigiis ac praesentia in Joanne Ludovico Vive (pp. 200-218) scripsit et inventimus ea omnia optima, tum ex rerum copia, tum ex testimoniosis allatis et fontibus, tum ex ratione ea tradendi, tum denique ex judicio, quod de singulis, data opportunitate, profert auctor. Unde pleno jure hoc opus nobis commendandum censemus.

ROHLES, G. — *Romanische Sprachgeographie*. Geschichte und Grundlagen. Aspekte und Probleme mit dem Versuch eines Sprachatlas der romanischen Sprachen. C. H. Beck'sche Verlagsbuchhandlung, München, 1971. Pag. XXIV-334.

Gerardus Rohlfs vir est inter cultores scientiae romanicae notissimus, qui et in conventibus et in commentariis periodicis multa de hac disciplina evulganda protulit. Ex iis ergo plura vetera cum novis rebus in unum congerendo nunc opus hoc confecit magni ponderis et momenti, de eis praesertim quae ad geographicam romanarum linguarum attinent. Opus praeterea ornatum est vocabulario omnium verborum de quibus sermo quoquo modo fuit diversa capita libri (p. 207-234) et etiam (p. 235-334) chartis centum numero, quibus plurimorum vocabulorum historia illustratur et mutua inter se conformatio aut distinctio in singulis areis linguisiticis confirmatur.

STIEHL, R. - STIER, H. E. — *Beiträge zur Alten Geschichte und deren Nachleben*. Festschrift für Franz Altheim zum 6. 10. 1968. herausgegeben vob R. S. und E. S. Zweiter Band, Walter de Gruyter & Co., Berlin, 1970. Pag. 484, 66 tab., 7 fig.

In hoc volumine continentur triginta tres lucubrationes amicorum et admiratorum clarissimi Prof. Francisci Altheim, bene quidem meriti tam de historia antiqua, praesertim romana, quam de religionibus italicorum populorum. Lucubrationes ad has disciplinas maxime spectant et ab iis qui hac nostra aetate in hac scientiarum dictione primatum habent, ut, ex gr., W. L. Duliére, Jan Burian, Johannes Irmscher, Karl Kerényi, W. Schröder pendent. Sub finem hujus alterius voluminis index continetur bibliographicus Francisci Altheim, ab anno 1914 ad annum 1967 (p. 390-416). Opus totum clauditur 66 figuris seu imaginibus pictis, quibus lucubrationes antea propositae illustrantur et confirmantur.

LAUFFER, S. — *Diokletians Preisedikt*. Walter de Gruyter & Co., Berlin, 1971. Pag. IX-361, 24 tab.

Edictum Diocletiani et collegarum de pretiis rerum venalium a. p. Chr. 301 nonnulli antea ex non nullis quae exstant fragmentis restituere conati sunt; nunc demum, post diuturnum laborem, meliorem editionem critica cura paratam nobis offert Sigfridus Lauffer, praefatione praehibita magni momenti (p. 1-88), ditatam commentariis (p. 213-305), indice vario (p. 307-361), atque 37 imaginibus lumine pictis. Magna laude digni sunt tum auctor editionis quam typographus propter diligentiam et impensa ad opus perfectum offerendum quantum primigenii

fontes et inscriptiones patiebantur, quae mutilae sunt et deficientes.

SCHNEIDER, C. — *Geistesgeschichte der christlichen Antike*. Verlag C. H. Berck, München, 1970. Pag. IX-693.

Anno 1954 professor Carolus Schneider opus edidit cui nomen erat "Geistesgeschichte des antiken Christentums". Quod nunc lectoribus recesendum suscepimus, certe non idem opus est, sed aliud quod germen in priore habet et est quasi illius ampla et nova propagatio. Continet multa utilia ad historiam primae ecclesiae Christi. Res proponuntur simplici ratione sine faragine fontium neque auctorum, quibus doctrina proposita simul et opinio-nes singulae comprobentur.

BUCHWALD, W. — *Platon: Phaidros*. Ed. E. Heimeran Verlag, München, 1964. Pag. 189.

SCHÖNBERGER, O. — *Philostratos: Die Bilder*. Ed. E. Heimeran, Verlag, München, 1968. Pag. 54.

KYTZLER, B. — *M. Tullius Cicero: Brutus*. Ed. E. Heimeran Verlag, München, 1970. Pag. 367.

RUPE, H. — *Homer Ilias*. Ed. F. Heimeran, Verlag, München, 1968.

Bibliotheca "Tusculum" dicta iter suum peragit magna virorum cultorum admiratione commodoque, eorum praesertim qui lingua germanica utuntur. Continet unumquodque volumen textum cum notulis criticis, introductionem majoris vel minoris momenti, annotationes valde proficuas ad res difficiliores illustrandas atque explicandas, conspectum bibliographicum mirifice selectum et plerumque imagines seu tabulas, quae ad rem maxime pertinent. Unde nihil mirum si haec magnifica bibliotheca ab omnibus laudetur

et a plurimis ad propiam utilitatem evolvatur in privatam lectionem et a magistris in scholis adhibeatur.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

INSTITUT FERNAND-COURBY. — *Nouveau choix d'inscriptions grecques*. Textes, traduction, commentaires. "Les Belles Lettres", Paris 1971. Pag. 234.

Novem litterarum graecarum Professores communem operam navarunt huic novo inscriptionum graecarum corpori conficiendo. Quibus hoc fuit consilium: adjumentum praebere scholasticis litterarum historiaeque ut expedite legere discerent inscriptio-nes graecas. Hac via incedunt Profes-sores: primum textum graecum transcribunt; deinde eum vernacule inter-pretantur; denique comentario in-struunt atque illustrant. En operis in-dex quem cognoscas oportet: I. Dé-crets honorifiques. II. La vie religieu-se entre cités. III. Décrets pour des juges étrangers. IV. La cité sous l'Empire. V. Traité. VI. Lettre of-ficielle. VII. Lois. VIII. Documents financiers. IX. La propriété foncière. X. Dédicaces et fondations. XI. Epi-graïmnes funéraires ou votives. Ita per inscriptiones in lapide vel papyro insculptas antiqua graecorum homi-num vita historiaque revocatur.

BRINK, C. O. — *Horace on poetry. The "Ars Poetica"*. Cambridge University Press, 1971. Pag. XXVI-563. Price: L. 8.60 net.

Hoc est alterum e tribus volumini-bus excogitatis quibus epistulae Horatii litterariae pertractentur; nu-cleum ut ita vulgo dicamus volumi-nis textus criticus constituit "ARTIS POETICAE" cum aplissimio singula-rique commentario vocabulorum, ex-structurae poematis, rerumque in-

eodem contentarum. Textui praemittitur traditionis manu scriptae prooeium, dum commentarium disputatione exornatur litteraria qua ARTIS POETICAE comprehensio tanquam poematis horatiani intenditur. Prof. C. O. Brink singillatim praebet novissima consequentia de Artis Poeticæ exstructura quae jam diu in "Prolegomenis" protulerat. Observationes quas auctor in primo volume habuit, nunc retractat atque recognoscit propiamque exponit opinionem apparentem ordinis perturbationem in poema horatiano praecipuum constituere partem consilii quod in eo exarando ipse inierat Horatius. Hoc volūnum corpore unum idque plane eruditum commentarium de scriptis criticis Horatii continetur. Opera enim Prof. C. O. Brink adeo in litteris latinis longe praestant ut asserere audeamus alta eis jacta esse fundamenta ad Horatium rite intellegendum scientificisque rationibus criticis in præsentia recognoscendum.

ROBINSON, T. M. — *Plato's Psychology*. University of Toronto Press, 1970. Pag. 202. Price: \$6.50.

Opiniones, quas Plato de mente seu anima habet, congruenti modo, quod ad psychen humanam et cosmicam spectat, proferuntur, etsi Platonis cogitatio vix umquam corpore doctrinae circumscribi possit. Plato enim in primis dogmati ulli invius est rationesque cogitandi psychologicas saepius variat et mutat, ut multiplicibus rerum adjunctis sese aptet. Interdum Plato psychen tamquam unitatem contemplatur eamque pure intellectivam, et tunc temporis consentaneum videtur psychen pro mente interpretari; non umquam tamen psychen asserit in duo quasi principia, in rationem scilicet atque vim, et saepe in

tria vel plura esse divisam. Hoc volumen longe recentissima atque præstantissima videtur disputatio de natura et evolutione opinionis quam Plato de psyche habet; quam ob rem auctor illa platonica colloquia investiganda curat, —in quibus Phaedon, Res Publica, Timaeus, Leges,— quae praecipui ad rem fontes videntur Prof. T. M. Robinson cum antiquis tum recentibus de hoc negotio scriptis amplissime utitur, simul atque errata significat quae saepe committuntur cum aliquot maximi momenti loci perperam inepteque convertuntur quaeque in optimis etiam interpretationibus irrepere atque perseverare possunt.

BIEHL, W. — *Euripides Troades*. B. G. Teubner Verlag, Leipzig, 1970. Pag. XXVIII-92.

Non nulla in hac Euripidis Troadum editione animadvertisimus oportet. Textui graeco praemittitur introductio, ubi de ratione critica textus curandi atque recognoscendi agitur ope traditionis codicum manu scriptae, editiones euripideae consignantur atque dissertationes selectae, notis postremo siglisque appositis. Textus, ut mos est in editionibus teubnerianis, graecus insequitur apparatu critico instructus. Et in extremo opere corpectus prostat metrorum ubi quam plurima eaque diversa metra, quibus Euripides poeta in Troadibus pangendis usus est, perlucida ratione per schemmata exponuntur.

DUFF, J. D. — *D. Ivnii Juvenalis Satvrae VIX*. Cambridge at the University Press 1970. Pag. LXXXIX-474. Price: 15s net.

Hac anglica carminum Juvenalis editione Satura quoque illa VI inclu-

ditur, quae plerumque ab aliis editionibus longe abesse solet, etsi vividis coloribus depicta omnium praestantissima et longissima videatur. Textus Juvenalis aliquoties immutatus est propter novissima in re textuali inventa. Textum praecedit atque comittatur duplex introductio: prima scilicet editionis et altera a M. Coffey exarata, quas selectissima insequitur bibliographia. Textus postea appetet latinus commentariis demum et annotationibus quam plurimis a pag. 104 usque ad pag. 454 illustratus. Quarum annotationum copia atque amplitudine ad suspicandum inducimur quanta cura atque subtilitate minimi Juvenalis loci ab auctore pertractentur.

BURFORD, A. — *The greek temple builders at Epidavros*. University of Toronto Press, 1969. Pag. 270. Price: \$22.50.

Epidaurum una quondam exstitit e praestantissimis Graeciae urbibus cum incolarum numero tum rerum oeconomicarum amplitudine; sed Asclepii in primis templum graecos omnes adlexit ut ex omnibus urbis pie religioseque peterent Epidaurum. Tantum ab Asclepii sanctuario exstrenudo pependit ipsa Epidauri aedificatio! Testimonia quae exstant archaeologica et epigraphica penitus hoc volumine investigantur adeo ut perspicue pateat templi aedificationem quid amplius esse quam merum exercitium architectonicum quod a peritis viris technicis perficeretur. Namque tantum incoepit, quod ab anno 370 usque ad annum 250 p. Ch. n. duravit, a tota Epidauri plebe pependit, ab artificibus vernaculis exterisque, a piis Asclepii cultoribus qui in urbem undique locorum hellenicorum peregrini conveniebant. E testimoniiis quae exstant facile percipimus quo pacto for-

ma aedificandi sit excogitata, quo modo artifices conducti, unde quibusque expensis materiae sint asportatae, qua ratione ac via opera technica quaedam ut materiarum ponderosarum inventio feliciter ab ingeniis in re architectonica sint expedita.

JACQUES, J. M. — *Ménandre. Tome I: La Sammienne*. “Les Belles Lettres”, Paris, 1971. Pag. LXXX-55.

Eruditissimum sane prooemium praemittitur huic Menandri comoediae edendae cui index “Samia” est. Novissimis Menandri investigationibus inventisque litterae graecae debent non nullarum fabularum scaenicarum quae deperditae vel ignotae consebantur quasi resurrectionem; in quibus “Samia” adnumerari debet. Prof. J. M. Jacques, in longinquo scitissimoque prooemio de hac Menandri comoedia disserit: primum de ejus exstructura et Menandri arte machinandi, de quinque comoediae actibus, de choro, de matrimonio ubi res agitatur, de vi comica ceterisque; deinde de personis quae in comoedia intersunt: Moschion, Demea, Plangon, Niceratus, Chrysis; de consilio quod sibi Menander hoc opere scribendi iniit; de testimoniiis veteribus, de Dyscolo et Samia, de monologis, de prologo; denique de textus traditione, ubi Codex Bodmarianus, Cairensis, B et C, P. Oxy. inedita memorantur, ut ratio demum hujus editionis critica exponatur. Textus graecus fabulae menandreae insequitur et interpretatio vernacula dupli pagina, apparatu critico instructo.

COMBES, R. — *Cicéron: Laelius de Amicitia*. “Les Belles Lettres”, Paris, 1971. Pag. LXXVIII-68.

Non nullorum operum classicorum tantum videtur meritum ut numquam obsolescant verum etiam vigeant sem-

per placeantque. Quod de opere ciceroniano quod "Laelius de Amicitia" inscribitur, jure dicendum est. Tantum igitur opus meretur prooemium. Auctor namque prima parte quae tractatui ciceroniano dicatur haec habet disputanda: A. Quaestiones chronologicas (quo tempore opus exaratum sit; quo indice seu titulo instructum; cuinam dicatum). Secunda autem parte de colloquio: de tempore atque personis quae intersunt: Laelius, Scaevola, Fannius, Sicipio Africanus, summa colloquii. Laelii de amicitia expositio, dicendi genus. Tertia vero parte de amicitiae quaestionibus: quid de amicitia veteres ante Ciceronem cogitarent, quid de ea Cicero sentiret ipse, de Laelii fontibus, de Laelii momento philosophico atque litterario. Quarta postremo parte de manu scripta agitur traditione. Introductione peracta, sequitur textus latinus qui juxta morem hujus collectionis accuratissima interpretatione franco-gallica selectisque notulis in unaquaque pagina instruitur.

Bizos, M. — *Xénophon: Cyropédie. Tome I: Livres I et II. "Les Belles Lettres"*, Paris, 1971. Pag. LX-100.

Qui Xenophontis Cyropaediam suscepérint legendam, summo censemus fore adjumento scitissimam hujus editionis introductionem quae a Prof. M. Bizos conscripta duas partes habet: litterariam scilicet primam, alteram vero criticam. In prima parte haec tractantur argumenta: Universa Cyropaediae indoles. Historia. Cyri vita privata. Ingenium Cyri. Cyri Persarumque institutio. Cyrus homo militaris. Cyrus cum Cambyse de ducis officiis colloquitur. Cyrus homo politicus. Xenophon rerum gestarum enarrator. Personae quae in Cyropaedia intersunt. Cyri imago. Xenophontis ingenium in historia describenda. Orationes quae in Cyropaedia habentur. Dicendi genus.

Xenophon et Isocrates. Xenophon' et Plato. Cyropaedia in historia litterarum. Quod ad alteram partem criticam spectat haec notemus oportet: 1. Manu scripta. 2. Papyri. 3. Traditio codicum indirecta. 4. Apparatus criticus. Textus graecus et vernacula interpretatio cum non nullis notulis selectoque apparatu critico pag. 1-93 dupli columna includuntur. Annotationibus additiciis explicit opus.

CURTI, C. — *Due articoli eusebiani ("Commentarii in Psalmos")*. Jonica Editrice (Siracusa), Noto, 1971. Pag. 62. L. 2000.

Nobilissima in antiquitate christiana Eusebii Caesariensis monumenta quae "Commentarii in Psalmos" inscribuntur non nimis animos studiosorum se converterunt. Ii enim "Commentarii" reapse investigandi hucusque manent. C. Curti hanc lacunam ad incitamentum investigatorum quodam modo explere vult duabus lucubratiunculis quarum indicen lectoribus praebere nobis visum est: "Per una edizione dei "Commentarii in Psalmos" di Eusebio di Cesarea" (Ms. Coislin 44) et "Sono di Eusebio alcuни frammenti dei "Selecta in Psalmos" attribuiti ad Origine?"

GRANARO, J. — *D'Ennius à Catulle, Recherches sur les antécédents romains de la "poésie nouvelle". "Les Belles Lettres"*, Paris, 1971. Pag. 428.

Prof. J. Granaro in lucem edidit opus quod "L'oeuvre de Catulle - Aspects religieux, éthiques et stylistiques" ("Les Belles Lettres", 1-67) inscribitur. Nunc vero novo volumine opus illud prooemio quodam historico instruere vult auctor. Quod ipse quidem proposuit plane patet: poesim lyricam quam praecatullianam vulgo dicimus investigare quod ad varios rei adspectus atti-

net, litterarios scilicet et populares. Quin Q. Lutatius Catulus ejusque aemuli praetereantur, Prof. J. Granarolo in explorando Laevio poeta magnopere insistit, cuius carmina per exigua eorum fragmenta tantum ad nos per venerunt. In tres igitur partes investigationem auctor dispergitur: **PERMIERE PARTIE**: Situation de Laevius et de ses *aequales* à Rome. Leur desseins (p. 3-151). **DEUXIEME PARTIE**: Scénarios lyriques, *Nugae*, *Menipées* (p. 153-256). **TROSIEME PARTIE**: Traditions satiriques, *Lusus*, *Sermones*, et refonte néotérique du *Lepos* (p. 257-383). Récapitulation générale (p. 385-403). Appendices (p. 405-424).

MAU, J. — *Plutarchus: Moralia*, Vol. V. Fasc. 2. Pars I. B. G. Teubner Verlag, Leipzig, 1971. Pag. X-154.

Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana dicitur est novo volumine cui "Plutarchi *Moralia*" vol. V index est. In hoc fasciculo continentur: "Vitae decem oratorum", ubi quid Plutarchus de optimis oratoribus graecis censeat facile percipies, si vitas legeris Antiphontis, Andocidis, Lysiae, Isocratis, Isaei, Aeschinis, Lycurgi, Demosthenis, Hyperidis, Diarchique (p. 1-44). Deinde "Decreta" prostant (p. 44-49), denique "Placita philosophorum" quinque libris contenta (p. 50-153). Operi praefatio praemittitur qua scienter eruditeque de codicium traditione agitur.

MOLAGER, J. — *Ciceron: Les Paradoxes des Stoïciens. "Les Belles Lettres"*, Paris, 1971. Pag. 156.

Qui Ciceronis "Paradoxa" non tantum legere verum etiam comprehendere atque callere velit, eum magnopere juvabit haec Prof. J. Molager editio nuper vulgata, cuius introductione tot maximi momenti attinguntur argumen-

ta quae indicis instar memoremus oportet: I. Quibus rerum adjunctis opus exaratum sit. II. Quo tempore sit compositum et quibusnam destinatum. III. Quid consilii fuit Ciceroni in "Paradoxis" conscribendis. IV. Quaenam in opere argumenta tractentur. V. Nonne Ciceronis cogitatio doctrinis stoicorum est immutata? VI. De operis expositione. VII. De dicendi genere atque in litteris momento Paradoxorum. VIII. De textus per codices traditione, de editionibus. Post scitam eruditamque introductionem textum latinum nitide typis mandatum oculis lustrabis cum castigata interpretatione francogallica breveque apparatu critico.

DELLA CORTE, F. — *Opuscula I*. Università di Genova, Facoltà di Lettere, 1971. Pag. 240.

Lucubrationes clmi. Prof. F. Della Corte quae ad litteras graecas spectant quasque hic illic in plurimis vulgaverat comentariis, hoc volumine editione anastatica quam dicunt denuo in lucem datae sunt, eo sane auctoris consilio ut multis studiosis satisfaceret qui a se instanter illorum scriptorum exempla saepenumero expostulavissent quibusque omnino ipse careret. Si tua interest, en habes lucubrationum indicem. Elegia e giambo in Archiloco; La Nannò di Mimnermo; Mimnermo; Saffo; Il Polidoro euripideo; Menandro, l'attore Aristodemo e la morte di Focione; Euforione e i poeti latini; Rodi e l'istituzione dei pubblici studi nel II sec. a. C.; Stoicismo in Macedonia e in Roma; Le OMHPIKAI ΜΕΛΕΤΑΙ di Plutarco; Otto papiri letterari editi e inediti del Museo Berlinese; Ancora dei papiri berlinesi 9870 e 9871; Il frammento cosmologico bruxellesse; Sui presunti rapporti fra Boezio e Bisanzio; I codici cretesi della biblioteca nazionale di Torino.

UNIVERSITA DI GENOVA. — MYTHOS.
Scripta in honorem Marii Untersteiner. Facoltà di Lettere. Genova, 1970. Pag. 270.

Optime de litteris graecis meruisse censemus Facultatem Litterarum Universitatis Genuensis cum hoc volumine, quod "MYTHOS" inscribitur, scripta in honorem clmi. Prof. Marii Untersteiner ad septuagesimum annum ejus aetatis recolendum vulgaverit. Debitum plane obsequium videtur tantum cole-re virum qui, praeter longinquum in litteris graecis Genuae Mediolanique tradendis magisterium, triginta circiter volumina nec non plus quam quinquaginta lucubrationes ad studia graeca spec-tantes in quam plurimis commentariis divulgaverit. Ecce corporis lucubratio-nes in honorem tanti viri: U. ALBINI, Due asterischi su dramma e mito; V. E. ALFIERI, Schiller e il mito; L. ALFON-si, Il mito di Pasifae in Vergilio; A. ADRIZZONI, Leite ovvero la fonte delle lacrime; F. ARNALDI, Poesia e mito in Virgilio e in Marco Valerio; A. M. ASERETO, *Dall'Etiopide all'Eneide*; G. BARABINO, Per una nuova edizione del *Mitografo Vaticano II*; A. M. BATTEGAZZORE, Il termine *καθεδρα* nella *hypothesis* del *Piritoo* di Crizia; F. BERTINI, L'*ειδωλον* di Elena; U. BIANCHI, Il "dio cosmico" e i culti "cosmopoliti-ci"; M. T. CASSANELLO, *Alástor, thy-mós, bouleuma*, nella *Medea* di Euripi-de: analisi semiologica; Q. CATAU-DELLA, Una nuova aporia nelle *Opere e i giorni*; A. DELLA CASA, *Quot fuere loves?*; F. DELLA CORTE, I miti delle *Heroides*; K. KERÉNYI, Die Münzen des Onomakritos; G. MAGGIULLI, Ar-temide Callisto; T. MANTERO, *Audaci ingressus saltu*; M. MARCONI, L'assassi-nio di Uranos; V. PISANI, Vedove pas-sate a nuove nozze; G. PUCCIONI, *Her-cules Trikaranos nell'Origo gentis Ro-*

manae; L. SECCI, Mitologia "mediterra-nea" nei *Dialoghi con Leucó* di Pav-e-se; G. SOLIMANO, Il mito di Apollo e Admeto negli elegiaci latini.

ADAMS, S. M. — *Sophocles the Play-wrigth*. University of Toronto Press. Toronto 5 Ontario, Canada, 1962. Pag. VIII-182. Price: \$ 4.75.

Juxta Prof. S. M. Adams sententiam- ludus scaenicus Sophoclis minime est labor scriptoris qui per occasionem in- genii quodam spiritu afflatuque rapitur sed opus quod perfecta absolutaque unitate dramatica pollet. Atheniensibus nihil in illis fabulis scaenicis videbatu non dramaticum, nihil in eis erat su-pervacaneum neque contemnendum; fabulae omnes plane arte imbutae erant. Ad rite intellegendam intimam fabula- rum sophoclearum unitatem, necesse est penitus cognoscere quantum mo-mentum in illius aetatis dramate habue- rit religio. Tragoedia enim Graeciae- antiquae species quaedam observantiae religiosae videtur ejusque argumenta e fabulis praesertim religiosis desumpta erant. Deorum auctoritas eorumque in rebus humanis praesentia atque com- municatio praecipius videtur apparatus a quo plurimum unitas dramatica pen- det. Prof. S. M. Adams operis indicem praefixa: I. Heritage and Achieve- ment (p. 3). II. Ajax (p. 23). III. An- tigone (p. 42). IV. Electra (p. 59). V. Oedipus Tyrannus (p. 81). VI. Trachi- niae (p. 108). VII. Philoctetes (p. 134). VIII. Oedipus Coloneus (p. 160). Prof. S. M. Adams, ut vides, primum de cu- jusque fabulae natura, deinde de ejus congruenti ab initio usque ad finem evolutione agit, adeo ut hoc opere eum existimemus plurimum dramati graeco praesertim sophocleo investigando con- tulisse.

CENTAUR Books LTD. — *The Latin Calendar for 1972.* Ed. Centaur Books Ltd., 284 High Street, SLOUGH, Bucks, England, 1971.

Domus editrix quae "Centaur Books Ltd." inscribitur veterem sequitur morem Calendarium Latinum quotannis edendi. Salvere ergo jubemus editores quod novos fastos in annum MCMLXXII nuper in lucem vulgatos ad Palaestrae Latinae sedem emiserint, ut eorum notitiam lectoribus praebeamus. Hoc novi recens calendarium latinum affert quod unusquisque mensis imaginibus exornatur quae ex minutissimis picturis Vergilii Vaticani desumptae sunt atque non nullis versibus quoque vergilianis illustrantur juxta ordinem chronologicum: TITYRUS (m. jan.), CERTAMEN TAURORUM (m. febr.), CYCLOPES (m. mart.), TEMPESTAS (m. apr.), EQUUS LIGNEUS (m. maj.), FUNUS POLYDORI (m. jun.), DIDO ET AENEAS (m. jul.), CLASSIS CERTAMEN (m. aug.), SIBYLLA CUMAEA (m. sept.), LATINUS ET TROJANI (m. oct.), SUS ALBA (m. nov.), CASTRA TROJANA (m. dec.).

BAHNER, W. — *La lingüística española del Siglo de Oro.* Ed. Ciencia Nueva, S. L. Preciados, 23, Madrid-13, 1966. Pág. 206.

Prof. W. Bahner, rerum romanicarum peritissimus investigator, hoc opere quod "La lingüística del siglo de oro" inscribitur subtiliter penitusque explorare contendit origines disciplinac linguisticae apud hispanos a saeculo XV usque ad XVIII. Quod ut assequetur, tum scriptores auctoresque eorumque ingenia ac proprietates separatim inquisivit, tum eorumdem necessitudinem cum adjunctis historicis socialibusque illius aetatis, nec non cum aliis

scholis litterariis. Nebrix, Valdés, Aldrete accuratissime investigantur, quorum in operibus perpendere auctor contendit quantam vim momentumque habuerint et incipientes status nationales et munus linguae, quod ad prolatandum imperium hispanicum spectat. Nam lingua quae e necessitatibus rationibusque unitatis politicae oriri solet, praestantissimum simul praebet elementum ad eandem unitatem nascendam. Prof. W. Bahner gratulemur quod ortum conscientiae linguisticae apud hispanos primus investigaverit.

SANSEGUNDO VALLS, L. E. — *Paladio. El mundo de los Padres de desierto* (La Historia Lausiaca). Versión, comentario y notas Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 276.

"Historia Lausiaca" in primis monumentis hagiographicis litterarum christianarum cooptatur, ubi Palladius, scriptor vitae monachalis aegyptiae longe praestanter testisque rerum oculatus, duo ascetice vivendi genera describit: alterum antiquius a beato Antonio traditum quod vitae solitariae fuit specimen et alterum recentius a beato Pacomio creatum quod coenobium seu vitae communitatem sonat. Hoc opere colliguntur quam plurima maximi momenti testimonia, scaenae, exempla, dicta, instituta moresque patrum in Aegypti regionibus desertis decentium, quibus vita olim evangelica oculis nostris conspicienda inducitur atque restituitur. Prof. L. E. Sansegundo hanc Palladii editionem scitissima introductione instruit, ubi de Palladii vita dicendique ejus genere, de origine "Historiae Lausiaceae", de vita ascetica eremitarum, de animi aquarabilitate monachorum, de labore aliisque curis socialibus, de vita Ecclesiae, oratione, sacramentis ceterisque maximi momenti

argumentis eruditissime agitur; quod ad interpretationem hispanicam attinet, aptissimam textui Palladii eam existimamus cum interpres simplicitati amoenitatique illi palladianae sese accommodare totis viribus contendenter, quod pro certo habemus omnino esse assecutum.

SANSEGUNDO VALLS, L. E. — *La oración de la familia*. Ed. Propaganda Popular Católica (PPC), Madrid, 1968. Pág. 512.

En liber aptissimus ad orationem in familia communiter peragendam, renovationis liturgicae biblicaeque spiritu imbutus, ubi verbum Dei vivum atque vivificans homines hodiernos alloquitur. In eo enim omnia fere fideli nostrae argumenta fervido dicendi genere simplicique orandi formula seu exstructura attinguntur juxta anni liturgici curriculum aetatisque nostrae precandi modum exposita. Hujus libri ope familia christiana —“Ecclesia vere domestica”— in nomine Christi congregata, preces ad Patrem effundere potest hodierna vota sua et necessitates et studia pie exprimendo. Hoc orandi specimen seu exstructura ab auctore adhibetur: primum introductio initur, ubi argumentum diei nuntiatur atque proponitur considerandum; deinde duae insequuntur lectiones biblicae Veteris Novique Testamenti singulis monitionibus instructae; denique a familia recitantur preces, quae Trinitatis invocatione et oratione dominica finiuntur. Unaquaeque orandi formula octo fere vel decem minuta durant, adeo tamen ut tempus orandi, prout libeat, produci parvo orationis silentis spatio post lectiones interjecto aut idem facile coartari possit unam e duabus lectionibus omittendo. Imo corde L. E. Sansegundo gratulamur quod librum exaravit, ubi facillimum commodatur

adjumentum ut familiae nostrae et communitates religiosae vel apostolici cœtus de rebus vitae humanæ quotidianiæ cum Patre in mysterio Christi familiariter colloquantur.

ARMELLE, P. — PSUQUEY, G. — *El Dios de Papillon*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 166.

Cum editor tum auctores communem sibi laborem in praecipuis adspectus operis Henrici Charrière, quod “Papillon” inscribitur, investigandis proprie suerunt. Itaque volumen ex duabus constat lucubrationibus, quibus communis est index “El Dios de Papillon”. Prima lucubratio a P. Armelle exarata in quinque subindices (venia sit novo verbo!) dispergitur: 1. La “parábola” de Papillon. 2. Papillon o la mística salvaje. 3. Papillon y el mundo bíblico. 4. Papillon y los “idus” de marzo. 5. Fuera de los muros. Altera lucubratio, quae a G. Psuquey conscripta est, haec habet argumenta: 1. Los representantes de Dios. 2. La generación. 3. Un sustituto de Dios: el dinero. 4. Las imágenes interiores de Dios: la madre, el padre, la naturaleza. 5. El Dios de mi salvación. 6. El héroe y el nacimiento del hombre. 7. La conversión. 8. Mitos y realidades. Saga, Odisea y literatura oral. P. Armelle et G. Psuquey, theologi scriptoresque catholici, coram nobis inducere contendunt virum illum, cui nomen Papillon, per locos ipsius H. Charrière propriamente locorum memoratorum interpretationem, quae cum doctrina catholica aptissime congruit. Nihil dubii est quin haec lucubrationes manu lectores sint quasi ductrae ad integrum H. Charrière opus “Papillon” inscriptum oculis mentibusque perlustrandum.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

B I B L I O G R A P H I A

BIANCHI BANDINELLI, R. — *Roma. L'arte romana nel centro del potere.* Ed. G. Feltrinelli, Milano, 1969. Pag. XII-438. Lire 16000.

Ars romana aliquot opinionibus praejudicatis nondum vacat, quae moram faciunt naturae suae propriaeque indoli definiendae. Si pro certo habemus artem romanorum arti graecorum jam inde ab originibus adscriptam conjunctamque esse, hacc tamen hereditas in aliam mutata est prout alia penitus civitas, ut romana, expostularet. Ut melius hujus evolutionis progressusque condiciones historicas unice singulares intellegamus, auctor artem romanam investigandam non ultra produxit quam ubi initium ea habuit, in urbe scilicet Roma, quod centrum exstitit imperii illius quocum ars romana tam obstricte devinciretur. Artis romanae documenta ac testimonia hoc opere explorantur inde ab originibus, tardioribus quidem eisque implicatiōribus, usque ad Commodi aetatem saeculo II post Ch. n. exeunte; quo tempore post longinquam naturalismi hellenistici dominationem primum exoritur discriminē, cum nova cuidam evolutioni patefacta est via, quae duobus postea saeculis in limina medii aevi perduxit. En tibi operis indicem ad meliorem rei comprehensio nem: Parte prima: 1. Nascita di una città, di una società e di una cultura. 2. Tradizione plebea e tradizione patrizia. Il rilievo onorario e il ritratto. 3. I problemi dello spazio. Pittura a architettura. 4. Dal neoatticismo al neoclassicismo. 5. Creazione di un'arte imperiale. Traiano e Adriano. 6. La prima crisi della tradizione ellenistica. Gli imperatori Antonini. Conclusione. Parte seconda: Documentazione generale. Documentazione complementare illustrata. Piante. Tavole cronologiche.

Albero genealogico degli Antonini. Elenco degli autori antichi. Bibliografia. Documentazione iconografica. Indice-glossario. Carte geografiche.

SOCIEDAD ESPAÑOLA DE ESTUDIOS CLÁSICOS. — *Coloquios sobre teoría política de la antigüedad.* Ed. Sociedad Española de Estudios Clásicos, Madrid, 1965. Pág. 168.

“Colloquia de rationibus politicis antiquitatis classicae” quae Matriti d. 22-24 m. aprilī a. 1963 a Societate Hispanica Studiorum Classicorum habita sunt, felicem exitum habuerunt cum argumentorum praestantia ac momento tum adstantium virorum auctoritate. Triduo enim peritissimi in litteris humanis historiaeque graecae ac romanae convenerunt professores, qui fuse aper teque eruditorum colloquiorum ope age rent de quan plurimis quaestionibus quibus ratio politica antiquorum impli catur inde ab Aeschylo usque ad initium medii aevi occidentalis atque byzantini. Argumenta quae prius a peritissimo quoque professore tractabantur, postea ab adstantibus in colloquiis dis putabantur. En tibi, si tua interest, index colloquiorum: I. Coloquio sobre la teoría política de la democracia ateniese (Prof. F. Rodríguez Adrados, p. 11). II. Coloquio sobre la teoría política de Sócrates y Platón (Prof. A. Tovar, p. 65). III. Coloquio sobre el no estatismo del imperio romano (Prof. S. Mariner, p. 105). In hoc volumine lector per abundantem inveniet materiam ad cogitandum non tantum de re politica antiquorum verum etiam nostrorum temporum quae plerumque simillimas veterimis illis quaestiones hodiernas ad rem politicam spectantes offerunt sapientibus disputandas.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, <i>Repetitorium</i>	ptis.	70
» <i>De Orthographia latina</i> (altera editio).	»	20
PLANQUE-PLANAS, <i>Gramática Griega</i> (altera editio).	»	100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis.	12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	»	12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	»	12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	»	14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...	»	12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	»	12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	»	12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ...	»	16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ...	»	12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	»	10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	»	14
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I)	»	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	»	12

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, neenon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissae:

- 173 Tàcit - Annals (vol. V) Llibres XIV - XV
- 174 Tucídides - Història de la guerra del Peloponès (vol. V)
- 175 Herodes - Mimiambs
- 176 Tàcit - Annals (vol. VI) Llibre XVI
- 177 Aristòfanes - Comèdies (vol. II)

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHÀ, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA